OPUSCULA SANCTI PATRIS FRANCISCI ASSISIENSIS

BIBLIOTHECA FRANCISCANA

ASCETICA

MEDII AEVI



Tom. I.

BIBLIOTHECA FRANCISCANA ASCETICA MEDII AEVI



(Haec collectio complectitur opuscula ascetica et mystica, quae scriptores ordinis minorum medii aevi lingua latina scripserunt).

OPUSCULA
SANCTI PATRIS FRANCISCI
ASSISIENSIS


SEC. CODICES MSS. EMENDATA ET DENUO EDITA

A

PP. Collegii S. Bonaventurae




AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1904.



Proprietas litteraria



PRAEFATIO



« Sanctissimi patris Francisci doctrina pondere rerum ita est excellens, ut si in aliis sanctae Ecclesiae patribus Spiritum Dei locutum merito credimus, in hoc Spiritum Dei *inflammantem et seraphico spiritu implentem* non solum loqui, sed ignem mittere in orbem terrarum facile conspicere possimus (1) ».

S. Franciscus, « cum paucas litteras sciret, postmodum in litteris profecit in ordine non solum orando, sed etiam legendo (2) »;

---

1) Card. *Gabriel de Treio* in epistola ad Waddingum.

2) *S. Bonaventura,* Epistola de tribus quaestionibus (Opera omnia t. VIII. pag. 334.).

« et quod animo semel iniecerat tenaciter imprimebat memoriae, quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu quod continuae devotionis ruminabat affectu » ; « aeternae lucis irradiatus fulgoribus Scripturarum profunda miro intellectus scrutabatur acumine (1) ».

Quaelibet pagina scriptorum S. Francisci confirmat haec D. Bonaventurae verba. Ille continuae devotionis affectus, mira illa scripturarum intelligentia relucet ubique. Omnia porro singularem eius reverentiam erga sanctissimum sacramentum, assiduum eius zelum animarum, sincerum amorem paupertatis produnt. Scriptores et poetae in suis legendis et carminibus hasce sancti Francisci virtutes non ita plene et pulchre celebrarunt, quam ipse in suis scriptis eas depinxit.

Quare ad honorem seraphici patris scripta sua novis curis edenda suscepimus. Praemisimus quaedam de antiquis ipsorum collectionibus et editionibus.

---

1) *S. Bonav.,* Legenda S. Franc. c. 11. n. 1.

I. De antiquis collectionibus.

Marianus Florentinus in libro I. chronicorum exhibet elenchum scriptorum S. Francisci, quem ex Waddingi editione desumptum hoc loco ponimus. « Multa, inquit, scripsit, ex quibus potest perpendi zelus et fervor eius de animarum salute; quorundam hic mentionem faciam. Scripsit:

Primam regulam, quam Innocentius sine bulla confirmavit, quae incipit *Haec est vita* (cfr. infra pag. 24.).

Secundam regulam, quam amisit fr. Elias.

Tertiam regulam, quam habemus per Honorium confirmatam, quae incipit *Regula et vita* (cfr. pag. 63.).

Edidit etiam regulam sororibus sanctae Clarae, regulae fratrum minorum conformem, quae incipit *In nomine Domini* (cfr. pag. 169.).

Item, regulam fratribus et sororibus de poenitentia seu tertii ordinis, quae incipit *Si qui voluerint* (cfr. pag. 172.) (1).

1) In cod. Palatin. 147. biblioth. nationalis Florentinae exstat opus fr. Mariani de *tertio ordine,* in quo aliam

Item, prope mortem condidit testamentum humilitatis et paupertatis fratribus relinquens praedia; incipit *Dominus dedit* (cfr. pag. 77.).

Item, libellum, qui intitulatur sacrae admonitiones beati patris nostri Francisci, qui incipit *Dixit Dominus: Ego sum vitis vera* (cfr. pag. 3.).

Item, opusculum sive epistolam commonitoriam et exhortatoriam omnibus fidelibus; incipit *Cum sim servus* (cfr. pag. 87.).

Item, aliam epistolam missam capitulo generali (cfr. pag. 99.).

Item, aliam epistolam admonitoriam ad omnes clericos (cfr. pag. 22.).

Item, quoddam devotum officium in honorem Domini nostri Iesu Christi, quod secundum solemnitates variabat (cfr. pag. 126.).

Item, quoddam scriptum de virtutibus, quibus decorata fuit B. Virgo Maria et debet

---

regulam huius ordinis memorat dicens: « Scripse una breve vita in quatordici rubriche distinta, la quale comincia: *Viri et mulieres huius fraternitatis* ». — Cfr. *Sabatier,* Fr. Francisci *Bartholi* tractatus de indulgentia S. Mariae de Portiuncula, Paris 1900, pag. 160.

esse anima sancta; incipit *Regina sapientia* (cfr. pag. 20.).

Item, quoddam scriptum de spirituali laetitia et acedia et eius remedio, quod incipit *Tutissimum remedium* (cfr. II. Cel. 3, 65.).

Item, quoddam aliud scriptum, qualiter debent fratres vivere in eremitoriis, et incipit *Illi qui volunt religiose* (cfr. pag. 83.).

Item, aliquas devotas orationes (cfr. pag. 119.) (1) ».

Opuscula ista in omnibus fere antiquis scriptorum S. Francisci collectionibus inveniuntur, si omittimus regulas sororum S. Clarae et tertii ordinis, quae duae in illis desunt, et quae S. Francisco attribui nequeunt.

1. Inter hasce collectiones *primo* loco ponimus eam quae habetur in codice 338. bibliothecae civitatis Assisiensis, qui olim fuit sacri conventus ad S. Franciscum (2).

---

1) Addit: « Item, cantica in vulgari. Item, quasdam laudes in vulgari ad sorores sanctae Clarae ». De quibus haec editio, quae respicit sola opera *latina,* non agit.

1) Cfr. *Alessandri,* Inventario dei manoscritti della biblioteca del conv. di S. Francesco di Assisi, Forlì 1894, pag. 57.

Saeculo XIV. ineunte scriptus continet omnia fere opera et eodem ordine, quae Marianus enumeravit. Desunt ibi 4 epistolae S. Francisci (ep. III., IV., V., VI.), quae Marianus pariter in suo catalogo omisit. Eadem collectio vel tota vel ex parte habetur in vulgata compilatione franciscana, cuius initium *Fac secundum exemplar* (1). Codex praesertim 12. ecclesiae Lignitiensis ad SS. Petrum et Paulum omnia illa opuscula habet et addit salutationem B. M. V. et ea quae S. Franciscus scripsit fratri Leoni (2).

2. *Altera collectio* differt a priore prae-

1) Cfr. *Sabatier,* Speculum perfectionis, Paris 1898, ubi in introductione pag. CLXXVI. seqq. descripsit cod. lat. 4354. biblioth. Vaticanae, cod. lat. 196. biblioth. regiae Berolinensis, cod. 131. biblioth. universitatis Leopolitanae.

2) Cfr. *Sabatier,* Le manuscrit de Liegnitz, in Opuscules de critique historique, t. I. pag. 33. seqq. — Ad hosce codices magis accedere videntur codex 989. bibliothecae Mazarin. et codex 1743. eiusdem bibliothecae (cfr. de utroque Sabatier, Speculum pag. CLXIV. seqq.). Eadem fere collectio, ac in hisce duobus codicibus, exstat in codice B. 132. archivi regii Dusseldorpiensis, qui pariter addit exemplum *Fuit quidam miles* etc. (cap. 66. Actuum B. Francisci et sociorum, in editione a Sabatier facta, Paris 1902).

sertim eo quod omittit opusculum *De reverentia corporis Domini* ac *officium Passionis* et addit epistolam *ad quendam ministrum* (ep. III.). Exstat pluries simul cum compilationibus « *Legenda trium sociorum* » et *Speculum perfectionis*. Codex celeber conventus Ognissanti Florentini (1), codex 1/25. collegii S. Isidori de Urbe (2), codex lat. 7650. bibliothecae Vaticanae (3), codex non signatus bibliothecae P. P. Capucinorum Fulginei (4) hanc collectionem eodem ordine praebent; quam etiam *Bartholomaeus Pisanus* in libro suo de Conformitate vitae B. Francisci ad vi-

1) Cfr. *Minocchi,* La « Legenda trium sociorum », Firenze 1900, pag. 13. seqq.

2) Cfr. *Lemmens* O. F. M., Documenta Antiqua Franciscana, p. III., ad Claras Aquas 1902, pag. 52.

3) Cfr. *Sabatier,* Bartholi pag. CXLVI.

4) Codicem descripsit *Faloci - Pulignani,* Miscellanea Francescana, t. VI. pag. 45., et Sabatier, Opuscules t. I. pag. 359 seqq. — Codex Fulginatensis maxime convenit codici 1/25. collegii S. Isidori; codex vero 7650. biblioth. Vaticanae multum imitatur codicem conventus Ognissanti. Uterque hic codex praeter scripta communia habet regulam primam et testamentum; codex 1/25. S. Isidori omittit testamentum, codex Fulgin. utrumque.

tam D. N. Iesu Christi (fructu XII. p. II.) fere integram posuit.

3. Quae duplex collectio duplicem etiam *familiam* lectionum et codicum repraesentare videtur. Ut duo exempla afferamus, opusculum *Salutatio virtutum* in cod. Assisiensi et Lignitiensi cum Mariano inscribitur *Salutatio virtutum, quibus decorata fuit beata Virgo Maria et debet etiam esse sancta anima;* in codice vero Ognissanti habetur titulus *Salutatio virtutum et efficacia eorum in confundendo vitia,* cui conveniunt alii huius generis codices. Deinde codex Assisiensis et Lignitiensis in fine epistolae *ad capitulum generale* ponunt orationem *Omnipotens, aeterne* etc. quae apud alios hoc loco deest.

Utriusque familiae codices meliores ad nostram editionem adhibuimus. Alii codices, qui unum vel alterum opusculum S. P. Francisci exhibent, in apparatu critico indicantur.

II. De antiquis editionibus.

1. Saeculo XVI. ineunte duae compilationes franciscanae in lucem prodierunt, quae

ambae plura S. Francisci scripta continent. Prior, *Speculum B. Francisci et sociorum eius* (1), inter varias legendas, relationes et exempla fol. 126 r. - 127 v. habet nonnullas ipsius orationes et fol. 189 r. seqq. regulam primam. Altera compilatio multo maior cum scopo *polemico* collegit declarationes et expositiones regulae, statuta, decreta, privilegia ordinis et alia huiusmodi. Forma et ordine variatis et cum fine et titulo diversis pluries prodiit: anno 1509. Rothomagi cum titulo *Speculum Minorum* (2), anno 1511. in civitate Salmantina cum titulo *Monumenta ordinis minorum* ac anno 1512. Parisiis cura patrum *Bonifacii de Ceva* et *Claudii Hugonis* cum titulo *Firmamenta trium ordinum B. Francisci* (3). Quae altera compilatio pariter plura inseruit opuscula S. Fran-

1) Prodiit Venetiis 1504 et Metis 1509. Cfr. *Sabatier,* Le Speculum vitae in Opuscules de critique historique, t. I. pag. 299. seqq.

2) Cfr. *Sbaralea,* Supplementum ad scriptores trium ordinum S. Francisci, Romae 1806, pag. 51.

3) De editione, quae prodiit Venetiis 1513, cfr. Sbaralea l. c. pag. 196.

cisci; in Monumentis ex. gr. habentur regula prima, testamentum, expositio super *Pater noster*, admonitiones, epistola ad omnes fideles ac pars prior epistolae ad omnes fratres.

2. Anno 1623. Waddingus editionem opusculorum S. Francisci procuravit, quae pluries postea repetita est (1). In tres tomos omnia distributa sunt, quae in codicibus, legendis et chronicis invenire potuit. In primo habentur 17 *epistolae, orationes* et *testamentum* S. Francisci; in secundo *regulae;* in tertio 28 *collationes, officium Passionis* et *cantica,* quibus accedunt « apophthegmata, colloquia, prophetiae, parabolae, exempla, benedictiones ac oracula » S. Francisci.

Collectio et editio a Waddingo facta in hoc differt a praecedentibus collectionibus, quod priores ea sola continent, quorum *materia et forma* S. Francisco debentur, Waddingus vero omnia, quae aliquo loco

1) Cfr. *Waddingus,* Scriptores ordinis minorum, Romae 1650, pag. 112. et *Sbaralea,* Supplementum pag. 244.

sanctus dixisse et praedicasse dicitur, collegit. Sermones isti S. Francisci a diversis auctoribus et legendis diversò modo traduntur; unde *forma* incerta est, immo aliquando spuria iudicari debet. S. Bonaventura ex. gr., Legend. cap. 5. n. 5., refert de S. Francisco: « Non enim securum *esse putabat,* earum formarum introrsus haurire imagines », quae verba a Waddingo uti verba S. Francisci in coll. VI. hoc modo dantur: « Non enim securum *puto* earum formarum introrsus haurire imagines ». Idem Doctor seraphicus in cap. 8. n. 1. refert: « Istius miserationis officium Patri misericordiarum omni sacrificio *firmabat* acceptius », quae verba in collatione XVII. repetuntur ita: « Officium praedicationis Patri misericordiarum omni sacrificio *est* acceptius ».


Hic ea sola praebemus, quae codices uti *scripta* S. Francisci exhibent, non negantes, quod collationes illae, sermones, *tractatus de vera et perfecta laetitia fratrum minorum* ac alia multa doctrinam et ideas S. Francisci pandunt.

Non omnes lectiones variantes (v. g. transpositiones verborum) notandas censuimus, sed eas solas, quae vel relationem codicum indicare possunt vel ad sensum aliquo modo faciunt. Litterae in uncis positae lectorem remittunt ad notas criticas, quae in fine libelli in *apparatu critico* collectae inveniuntur.

Finem facimus verbis epistolae S. Francisci *ad omnes fideles:* « Omnes, qui ea benigne recipient, benedicat eis Pater et Filius et Spiritus sanctus ».


Ad Claras Aquas, die 19. nov. 1903.

PP. EDITORES.



Pars I.

ADMONITIONES ET REGULAE



Verba Admonitionis

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

I. — De corpore Christi.

Dixit Dominus Iesus discipulis suis (1): *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodo cognoscetis eum et vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me videt et Patrem* meum. Pater *lucem habitat inac-*

1) Ioan. 14, 6-9.

cessibilem (1), et *spiritus est Deus* (2), et *Deum nemo vidit unquam* (3). Quia spiritus est Deus (*a*), ideo nonnisi spiritu videri potest; quia *spiritus est, qui vivificat, caro* autem *non prodest quidquam* (4). Sed nec Filius in eo, quod aequalis est Patri, videtur ab aliquo aliter quam Pater, aliter quam Spiritus sanctus. Unde omnes, qui viderunt Dominum Iesum Christum secundum humanitatem et non viderunt neque crediderunt secundum spiritum et divinitatem, ipsum esse verum Filium Dei, damnati sunt; ita et modo omnes (*b*), qui vident sacramentum corporis Christi, quod sanctificatur per verba Domini super altare per manus sacerdotis in forma panis et vini, et non vident et credunt secundum spiritum et divinitatem, quod sit veraciter sanctissimum corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi, damnati sunt, ipso Altissimo testante, qui ait (5): *Hoc est corpus meum et sanguis novi Testamenti*; et (6): *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum habet vitam aeternam.*

---

1) I. Tim. 6, 16. 2) Ioan. 4, 24.
3) Ioan. 1, 18. 4) Ioan. 6, 64.
5) Marc. 14, 22-24. 6) Ioan. 6, 55.

Unde spiritus Domini (*a*), qui habitat in fidelibus suis, ille est qui recipit sanctissimum corpus et sanguinem Domini; omnes alii, qui non habent de eodem spiritu et praesumunt recipere eum, *iudicium sibi manducant et bibunt* (1). Unde *filii hominum, usquequo gravi corde* (2)? Ut quid non cognoscitis veritatem et (*b*) *creditis in Filium Dei* (3)? Ecce, quotidie humiliat se, sicut quando (4) *a regalibus sedibus* venit in uterum Virginis; quotidie venit ad nos ipse humilis apparens; quotidie descendit de sinu Patris super altare in manibus sacerdotis. Et sicut sanctis apostolis apparuit (*c*) in vera carne, ita et modo se nobis ostendit in sacro pane; et sicut ipsi intuitu (*d*) carnis suae tantum carnem suam videbant, sed ipsum Deum esse credebant oculis spiritualibus contemplantes, sic et nos videntes panem et vinum oculis corporeis videamus et credamus firmiter, eius sanctissimum corpus et sanguinem vivum esse et verum. Et tali modo semper est Dominus cum fidelibus suis, sicut ipse dicit (5): *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

---

1) I. Cor. 11, 29.
2) Psalm. 4, 3.
3) Ioan. 9, 35.
4) Sap. 18, 15.
5) Matth. 28, 20.

II. — De malo propriae voluntatis.

Dixit Dominus ad Adam (1): *De omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas.* De omni ergo ligno paradisi poterat comedere Adam, qui (*a*), dum non venit contra obedientiam, non peccavit. Ille enim comedit de ligno scientiae boni (*b*), qui sibi suam voluntatem appropriat et se exaltat de bonis, quae Dominus dicit et operatur in ipso; et sic per suggestionem diaboli et transgressionem mandati factum est ei pomum scientiae mali; unde oportet, quod sustineat poenam.

III. — De perfecta et imperfecta obedientia.

Dicit Dominus in Evangelio (2): *Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*; et (3): *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam.* Ille homo relinquit omnia, quae possidet, et perdit corpus suum et animam suam, qui se ipsum totum praebet ad

1) Gen. 2, 16-17.
2) Luc. 14, 33. 3) Matth. 16, 25.

obedientiam in manibus sui praelati (*a*); et quidquid facit aut dicit, quod ipse sciat, quod non sit contra voluntatem eius, dummodo bonum sit quod facit, vera obedientia est. Et si quando subditus videat meliora et utiliora animae suae quam illa quae praelatus sibi praecipit, suam voluntatem (*b*) Deo sacrificet; quae autem sunt praelati, opere studeat adimplere. Nam haec est vera et caritativa obedientia, quae Deo et proximo satisfacit (*c*).

Si vero praelatus praecipiat aliquid subdito contra animam suam, licet ei non obediat, tamen ipsum non dimittat; et si ab aliquibus inde persecutionem sustinuerit, magis eos diligat propter Deum. Nam qui prius persecutionem sustinet (*d*), quam velit a suis fratribus separari, vere permanet in perfecta obedientia, quia *ponit animam suam* pro fratribus suis (1). Sunt enim multi (*e*) religiosi, qui sub specie meliora videndi quam illa quae sui praelati praecipiunt (*f*), *retro aspiciunt* (2) et *ad vomitum* propriae voluntatis *redeunt* (3); hi homicidae sunt et propter mala sua exempla multas animas perdere faciunt.

---

1) Cfr. Ioan. 15, 13.
2) Cfr. Luc. 9, 62. 3) Cfr. Prov. 26, 11.

IV. — Quod nullus sibi approprieт praelationem.

Non veni ministrari, sed ministrare, dicit Dominus (1). Illi qui sunt super alios constituti, tantum de illa praelatione glorientur, quantum si essent in abluendi fratrum pedes officio deputati; et quanto magis turbantur de ablata sibi praelatione quam de pedum officio, tanto magis sibi loculos ad periculum animae componunt (*a*).

V. — Quod nemo superbiat, sed glorietur in cruce Domini.

Attende, homo, in quanta excellentia posuerit te Dominus, quia creavit et formavit te *ad imaginem* dilecti Filii sui secundum corpus et *similitudinem* suam secundum spiritum (2). Et omnes creaturae, quae sub caelo sunt, secundum se (*b*) serviunt et cognoscunt et obediunt Creatori suo melius quam tu. Et etiam daemones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum et adhuc crucifigis delectando in vitiis et peccatis. Unde ergo potes gloriari? Nam si

1) Matth. 20, 28. 2) Cfr. Gen. 1, 26.

tantum esses subtilis et sapiens, quod omnem scientiam haberes et scires interpretari omnia genera linguarum et subtiliter de caelestibus rebus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari; quia unus daemon scivit (*a*) de caelestibus et modo scit de terrenis plus quam omnes homines, licet aliquis homo (*b*) fuerit, qui summae sapientiae cognitionem a Domino receperit specialem. Similiter si esses pulchrior et ditior omnibus et etiam si faceres mirabilia, ut daemones fugares, omnia ista tibi sunt contraria, et nihil ad te pertinent, et in his nihil potes gloriari; sed in hoc possumus *gloriari, in infirmitatibus* nostris (1), et baiulare quotidie sanctam crucem Domini nostri Iesu Christi (*c*).

VI. — De imitatione Domini.

Attendamus, omnes fratres, bonum pastorem, qui pro ovibus suis salvandis crucis sustinuit passionem. Oves Domini secutae sunt eum in tribulatione et persecutione et verecundia, fame et siti, in infirmitate et tentatione et ceteris aliis (2);

1) Cfr. II. Cor. 12, 5.

2) Cfr. Ioan. 10, 11; Hebr. 12, 2; Ioan. 10, 4; Rom. 8, 35.

et de his receperunt a Domino vitam sempiternam. Unde magna verecundia est nobis servis Dei, quod sancti fecerunt opera, et nos recitando et praedicando ea volumus inde recipere honorem et gloriam (*a*).

VII. — Ut bona operatio sequatur scientiam.

Dicit apostolus (1): *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Illi sunt mortui a littera, qui tantum sola verba cupiunt scire, ut sapientiores teneantur inter alios et possint acquirere magnas divitias et dare (*b*) consanguineis et amicis. Et illi religiosi sunt mortui a littera, qui spiritum divinae litterae nolunt sequi, sed sola verba magis cupiunt scire et aliis interpretari (*c*). Et illi sunt vivificati a spiritu divinae litterae, qui omnem litteram, quam sciunt et cupiunt scire, non attribuunt corpori (*d*), sed verbo et exemplo reddunt eam altissimo Domino, cuius est omne bonum.

VIII. — De peccato invidiae vitando.

Ait apostolus (2): *Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*; et: *Non est*

1) II. Cor. 3, 6.

2) I. Cor. 12, 3.

qui faciat bonum, non est usque ad unum (1). Quicumque ergo invidet fratri suo de bono, quod Dominus dicit et facit in ipso, pertinet ad peccatum blasphemiae, quia ipsi Altissimo invidet, qui dicit et facit omne bonum.

IX. — De dilectione.

Dicit Dominus in Evangelio (2): *Diligite inimicos vestros* etc. Ille veraciter diligit inimicum suum, qui non dolet de iniuria, quam sibi facit, sed de peccato animae suae uritur propter amorem Dei (*a*) et ostendit ei ex operibus dilectionem.

X. — De castigatione corporis.

Multi sunt, qui dum peccant vel iniuriam recipiunt, saepe inculpant inimicum (*b*) vel proximum. Sed non est ita; quia unusquisque in sua potestate habet inimicum, videlicet corpus, per quod peccat. Unde beatus ille servus, qui talem inimicum traditum in sua potestate semper captum tenuerit et sapienter se ab ipso custodierit; quia, dum hoc fecerit, nullus alius inimicus visibilis vel invisibilis ei nocere poterit.

---

1) Psalm. 52, 4. 2) Matth. 5, 44.

XI. — Quod nemo corrumpatur malo alterius (*a*).

Servo Dei nulla res displicere debet praeter peccatum. Et quocumque modo aliqua persona peccaret, et propter hoc servus Dei, nisi ex caritate, turbaretur et irasceretur (*b*), *thesaurizat sibi* culpam (1). Ille servus Dei, qui non irascitur neque conturbat se pro aliquo, recte vivit et sine peccato (*c*). Et beatus est, qui non retinet sibi aliquid *reddens quae sunt caesaris caesari et quae sunt Dei Deo* (2).

XII. — De cognoscendo spiritu Domini.

Sic potest cognosci (*d*) servus Dei, si habet de spiritu Dei: cum Dominus operatur per ipsum aliquod bonum, si caro eius non inde se exaltat, quia semper est contraria omni bono, sed si magis ante oculos suos se habet viliorem et omnibus aliis hominibus se minorem existimat (*e*).

XIII. — De patientia.

Non potest cognosci servus Dei, quantam habeat patientiam et humilitatem in se, dum sa-

---

1) Cfr. Rom. 2, 5. 2) Matth. 22, 21.

tisfactum est ei (*a*). Cum autem venerit tempus, quo illi qui deberent ei satisfacere, faciunt sibi contrarium, quantam habet ibi patientiam et humilitatem, tantam habet et non plus.

XIV. — De paupertate spiritus.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum (1). Multi sunt, qui orationibus et officiis insistentes multas abstinentias et afflictiones in suis corporibus faciunt, sed de solo verbo, quod videtur esse iniuria suorum corporum, vel de aliqua re, quae eis aufertur, scandalizati continuo perturbantur (*b*). Hi non sunt pauperes spiritu; quia qui vere pauper est spiritu, se ipsum odit et eos diligit, qui eum percutiunt in maxillam (2).

XV. — De pacificis.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (3). Illi sunt vere pacifici, qui de omnibus, quae in hoc saeculo patiuntur, propter amorem Do-

---

1) Matth. 5, 3.
2) Cfr. Matth. 5, 39.
3) Matth. 5, 9.

mini nostri Iesu Christi in animo et corpore pacem servant.

XVI. — De munditia cordis.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (1). Mundo corde sunt qui terrena despiciunt et caelestia quaerunt et semper adorare et videre Dominum Deum vivum et verum mundo corde et animo non desistunt.

XVII. — De humili servo Dei.

Beatus ille servus, qui non magis se exaltat de bono, quod Dominus dicit et operatur per illum, quam quod dicit et operatur per alium. Peccat homo, qui magis vult recipere a proximo suo, quam non vult (*a*) dare de se Domino Deo.

XVIII. — De compassione proximi.

Beatus homo, qui sustinet proximum suum secundum suam fragilitatem in eo, quod (*b*) vellet sustineri ab ipso, si in consimili casu esset.

---

1) Matth. 5, 8.

XIX. — De beato et non beato servo.

Beatus servus, qui omnia bona sua reddit Domino Deo; quia qui sibi aliquid retinuerit *abscondit* in se *pecuniam domini sui* (1), et *quod putat habere, auferetur ab eo* (2).

XX. — De bono et humili religioso.

Beatus servus, qui non tenet se meliorem, quando magnificatur et exaltatur ab hominibus, sicuti quando tenetur vilis et simplex et despectus; quia, quantum est homo coram Deo, tantum est et non plus (3). Vae illi religioso, qui ab aliis positus est in alto et per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille servus, qui non per suam voluntatem ponitur in alto et semper desiderat subesse pedibus aliorum (*a*).

XXI. De beato et vano religioso.

Beatus ille religiosus, qui non habet iucunditatem et laetitiam nisi in sanctissimis eloquiis

1) Matth. 25, 18. 2) Luc. 8, 18.

3) Cfr. Bonav., Legenda S. Franc. c. 6. n. 1: « Sed et verbum hoc dicere solitus erat: ‚quantum homo est in oculis Dei, tantum est et non plus ‘ ».

et operibus Domini et cum his perducit (*a*) homines ad amorem Dei in gaudio et laetitia. Et vae illi religioso, qui delectat se (*b*) in verbis otiosis et inanibus et cum his perducit homines ad risum.

XXII. — De inani et loquaci religioso (*c*).

Beatus ille servus, qui non loquitur sub spe mercedis et omnia sua non manifestat (*d*) et non est *velox ad loquendum* (1), sed sapienter providet, quae debet loqui et respondere. Vae illi religioso, qui bona, quae Dominus sibi ostendit, non retinet in corde suo et aliis non ostendit per operationem, sed magis sub spe mercedis hominibus verbis cupit ostendere; in hoc enim (*e*) recipit mercedem suam, et audientes parum fructum reportant.

XXIII. — De vera correctione.

Beatus servus, qui disciplinam, accusationem et reprehensionem ita patienter ab alio sustinet, sicut a semetipso (*f*). Beatus servus, qui reprehensus benigne acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur et libenter satisfacit. Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum et

1) Prov. 29, 20.

humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.

XXIV. — De vera humilitate (*a*).

Beatus ille (*b*), qui ita inventus fuerit humilis inter subditos suos, sicuti quando esset inter dominos suos. Beatus servus, qui semper permanet sub virga correctionis. *Fidelis servus et prudens* (1) est, qui in omnibus suis offensis non tardat interius punire (*c*) per contritionem et exterius per confessionem et operis satisfactionem.

XXV. — De vera dilectione.

Beatus ille frater (*d*), qui tantum diligeret fratrem suum infirmum, qui non potest ei satisfacere, quantum diligit sanum, qui potest ei satisfacere (*e*). Beatus frater (*f*), qui tantum diligeret et timeret fratrem suum, cum esset longe ab ipso, sicuti quando esset cum eo, et non diceret de eo aliquid post ipsum, quod cum caritate non posset dicere coram ipso.

---

1) Matth. 24, 45.

XXVI. — Quod servi Dei honorent clericos.

Beatus servus Dei, qui portat fidem in clericis, qui vivunt recte secundum formam sanctae romanae Ecclesiae. Et vae illis qui ipsos despiciunt; licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos iudicare, quia ipse solus Dominus reservat sibi ipsos ad iudicandum. Nam quantum maior est omnibus administratio eorum, quam habent de sanctissimo corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, quod ipsi recipiunt et ipsi soli aliis administrant, tantum plus peccatum habent qui peccant in ipsis, quam in omnibus aliis hominibus istius mundi (*a*).

XXVII. — De virtutibus effugantibus vitia.

Ubi caritas est et sapientia, ibi nec timor nec ignorantia. Ubi est patientia et humilitas, ibi nec ira nec perturbatio (*b*). Ubi est paupertas cum laetitia, ibi nec cupiditas nec avaritia. Ubi est quies et meditatio, ibi neque sollicitudo neque vagatio. Ubi est timor Domini ad atrium suum custodiendum, ibi inimicus non potest habere locum ad ingrediendum. Ubi est misericordia et discretio, ibi nec superfluitas nec induratio (*c*).

XXVIII. — De abscondendo bono, ne perdatur.

Beatus servus, qui *thesaurizat in caelo* bona (1), quae Dominus sibi ostendit, et sub spe mercedis non cupit manifestare hominibus, quia ipse Altissimus manifestabit opera eius quibuscumque placuerit. Beatus servus, qui secreta Domini conservat (*a*) in corde suo.

---

1) Cfr. Matth. 6, 20.

Salutatio Virtutum (1).

Ave, regina sapientia, Dominus te salvet cum tua sorore sancta pura (*a*) simplicitate. Domina sancta paupertas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta humilitate. Domina sancta caritas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta obedientia. Sanctissimae virtutes omnes, vos salvet Dominus, a quo proceditis et venitis. Nullus homo est penitus in toto mundo, qui unam ex vobis possit habere, nisi prius moriatur. Qui unam habet et alias non offendit, omnes habet (*b*); et qui unam offendit, nullam habet et omnes offendit;

1) Cfr. II. Cel. 3, 119: « Unde in laudibus, quas de virtutibus fecit, sic ait: Ave, regina sapientia, Deus te salvet cum tua sorore pura sancta simplicitate ».

et unaquaeque confundit vitia et peccata. Sancta sapientia confundit satan et omnes malitias eius. Pura sancta simplicitas confundit omnem sapientiam huius mundi et sapientiam carnis. Sancta paupertas confundit omnem cupiditatem et avaritiam et curas huius saeculi. Sancta humilitas confundit superbiam et omnes homines huius mundi et omnia, quae in mundo sunt. Sancta caritas confundit omnes diabolicas et carnales tentationes (*a*) et omnes carnales timores. Sancta obedientia confundit omnes corporales et carnales voluntates (*b*) et habet mortificatum corpus suum ad obedientiam spiritus et ad obedientiam fratris sui et facit hominem subditum omnibus hominibus huius mundi (*c*), et non tantum hominibus, sed etiam omnibus bestiis et feris, ut possint facere de eo quidquid voluerint, quantum fuerit eis datum desuper a Domino.

De reverentia corporis Domini et de munditia altaris.

Attendamus, omnes clerici, magnum peccatum et ignorantiam, quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi et sacratissima nomina et verba eius scripta, quae sanctificant corpus. Scimus, quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur a verbo. Nihil enim habemus et videmus corporaliter in hoc saeculo de ipso Altissimo, nisi corpus et sanguinem, nomina et verba, per quae facti sumus et redempti de morte ad vitam.

Omnes autem illi qui ministrant tam sanctissima mysteria (*a*), considerent intra se, maxime hi qui indiscrete ministrant, quam viles sint calices, corporalia et linteamina, ubi sacrificatur corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi. Et a multis in locis vilibus relinquitur et miserabi-

liter per viam (*a*) portatur et indigne sumitur et indiscrete aliis ministratur. Nomina etiam et verba eius scripta aliquando pedibus conculcantur; quia *animalis homo non percipit ea quae Dei sunt* (1). Non movemur de his omnibus pietate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se praebeat, et eum tractemus et sumamus quotidie per os nostrum? An ignoramus, quia debemus venire in manus eius?

Igitur de his omnibus et aliis cito et firmiter emendemus; et ubicumque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Iesu Christi illicite collocatum et relictum, removeatur de loco illo et in loco pretioso ponatur et consignetur. Similiter nomina et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari. Et scimus, quia haec omnia tenemur super omnia observare secundum praecepta Domini et constitutiones sanctae matris Ecclesiae. Et qui hoc non fecerit, sciat, se coram Domino nostro Iesu Christo in die iudicii reddere rationem. Et hoc scriptum qui fecerit exemplari, ut melius observetur, sciat se benedictum a Domino (*b*).

---

1) I. Cor. 2, 14.



Regula I.

FRATRUM MINORUM



Quam fecit beatus Franciscus, et dominus papa Innocentius confirmavit eam sibi sine bulla.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Haec est vita, quam frater Franciscus petiit sibi concedi et confirmari a domino papa Innocentio. Et ille concessit et confirmavit eam sibi et suis fratribus habitis et futuris.

Frater Franciscus et quicumque erit caput istius religionis promittat obedientiam et reverentiam domino papae Innocentio et eius successoribus. Et alii fratres teneantur fratri Francisco et eius successoribus obedire (*a*).

I. — Quod fratres vivant in obedientia, sine proprio et in castitate.

Regula et vita istorum fratrum haec est, scilicet vivere in obedientia, in castitate et sine proprio, et Domini nostri Iesu Christi doctrinam et vestigia sequi, qui dicit (1): *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me*; et (2): *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me*; item (3): *Si quis vult venire ad me, et non odit patrem et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest esse meus discipulus. Et omnis, qui reliquerit patrem aut matrem, fratres aut sorores, uxorem aut filios, domos aut agros propter me, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit* (4).

II. — De receptione et vestimentis fratrum.

Si quis divina inspiratione volens accipere hanc vitam venerit ad fratres nostros, benigne

1) Matth. 19, 21. 2) Matth. 16, 24.
3) Luc. 14, 26. 4) Matth. 19, 29.

recipiatur ab eis. Quodsi fuerit firmus accipere vitam nostram, multum caveant sibi fratres, ne de suis temporalibus negotiis se intromittant, sed ad suum ministrum, quam citius possunt, eum repraesentent. Minister vero benigne ipsum recipiat et confortet et vitae nostrae tenorem ei diligenter exponat. Quo facto, praedictus, si vult et potest spiritualiter et sine impedimento, vendat omnia sua et ea omnia pauperibus studeat erogare. Caveant autem sibi fratres et ministri fratrum, quod de negotiis suis nullo modo se intromittant neque accipiant aliquam pecuniam, neque per se neque per interpositam personam; si tamen indigerent, alia necessaria corporis praeter pecuniam recipere possint fratres causa necessitatis, sicut alii pauperes (*a*). Et cum reversus fuerit, minister concedat ei pannos probationis usque ad annum, scilicet duas tunicas sine caputio et cingulum et braccas et caparonem usque ad cingulum. Finito vero anno et termino probationis, recipiatur ad obedientiam. Postea non licebit ei ad aliam religionem accedere neque « extra obedientiam evagari » iuxta mandatum domini papae (1).

---

1) Cfr. bullam *Cum secundum consilium* Honorii III de 22. sept. 1220. (Bullarium Franciscanum, t. I. pag. 6.).

Nam secundum Evangelium (1) *nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei.* Si autem aliquis venerit qui sua dare non potest sine impedimento et habet spiritualem voluntatem, relinquat illa, et sufficit ei. Nullus recipiatur contra formam et institutionem sanctae Ecclesiae.

Alii vero fratres, qui promiserunt obedientiam, habeant unicam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, si necesse fuerit, et cingulum et braccas. Et omnes fratres vilibus vestibus induantur, et possint eas repeciare de saccis et aliis peciis cum benedictione Dei; quia dicit Dominus in Evangelio (2): *Qui in veste pretiosa sunt et in deliciis et qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* Et licet dicantur hypocritae, non tamen cessent bene facere; nec quaerant caras vestes in hoc saeculo, ut possint habere vestimentum in regno caelorum.

III. — De divino officio et ieiunio.

Dicit Dominus (3): *Hoc genus* daemoniorum *non potest exire nisi in ieiunio et oratione;* et

2) Luc. 9, 62. 3) Matth. 11, 8; Luc. 7, 25.
4) Marc. 9, 28.

iterum (1): *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes.* Propter hoc omnes fratres sive clerici sive laici faciant divinum officium, laudes et orationes, secundum quod debent facere. Clerici faciant officium et dicant pro vivis et pro mortuis secundum consuetudinem clericorum; pro defectu autem et negligentia fratrum dicant omni die *Miserere mei, Deus* cum *Pater noster;* pro fratribus defunctis dicant *De profundis* cum *Pater noster.* Et libros tantum necessarios ad implendum eorum officium possint habere; et laicis etiam scientibus legere psalterium liceat eis illud habere; aliis vero nescientibus litteras librum habere non liceat. Laici vero dicant *Credo in Deum* et viginti quatuor *Pater noster* cum *Gloria Patri* pro matutino, pro laudibus vero quinque; pro prima *Credo in Deum* et septem *Pater noster* cum *Gloria Patri* (*a*); pro tertia, sexta et nona, pro qualibet septem; pro vesperis duodecim; pro completorio *Credo in Deum* et septem *Pater noster* cum *Gloria Patri;* pro mortuis septem *Pater noster* cum *Requiem aeternam;* et pro defectu et negligentia fratrum tria *Pater noster* quolibet die.

---

1) Matth. 6, 16.

Et similiter omnes fratres ieiunent a festo omnium sanctorum usque ad Natale Domini et ab Epiphania, quando Dominus noster Iesus Christus incepit ieiunare, usque ad Pascha; aliis autem temporibus non teneantur secundum hanc vitam nisi sexta feria ieiunare. Et liceat eis *manducare* de omnibus cibis, *qui apponuntur eis*, secundum Evangelium (1).

IV. — De ministris et aliis fratribus, qualiter ordinentur.

In nomine Domini omnes fratres, qui constituuntur ministri et servi aliorum fratrum, in provinciis et in locis, in quibus fuerint, collocent suos fratres, quos saepe visitent et spiritualiter moneant et confortent. Et omnes alii fratres mei benedicti diligenter obediant eis in his quae spectant ad salutem animae et non sunt contraria vitae nostrae. Et faciant inter se, sicut dicit Dominus (2): *Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*; et (3): *Quod tibi non vis fieri non facias alteri.* Et recordentur ministri

1) Luc. 10, 8.
2) Matth. 7, 12.
3) Tob. 4, 16.

et servi, quod dicit Dominus (1): *Non veni ministrari, sed ministrare;* et quod commissa est eis cura animarum fratrum, de quibus, si aliquis perderetur propter eorum culpam et malum exemplum, in die iudicii oportebit eos reddere rationem coram Domino Iesu Christo.

V. — De correctione fratrum in offensione (*a*).

Ideoque animas vestras et fratrum vestrorum custodite; quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis* (2). Si quis autem ministrorum alicui fratrum aliquid contra vitam nostram praeceperit vel contra animam suam, frater non teneatur ei obedire; quia illa obedientia non est, in qua delictum vel peccatum committitur. Verumtamen omnes fratres, qui sunt sub ministris et servis, facta ministrorum (*b*) et servorum considerent rationabiliter et diligenter. Et si viderint, aliquem illorum carnaliter et non spiritualiter ambulare pro rectitudine vitae nostrae, post tertiam admonitionem, si non se emendaverit, in capitulo Pentecostes renuntietur ministro et servo totius fraternitatis, nulla contradictione impediente.

---

1) Matth. 20, 28. 2) Hebr. 10, 31.

Si vero inter fratres, ubicumque sint, fuerit aliquis frater volens carnaliter et non spiritualiter ambulare, fratres, cum quibus est, moneant eum et instruant et corripiant humiliter et diligenter. Quodsi ille post tertiam admonitionem noluerit se emendare, quam citius possunt, mittant eum vel significent suo ministro et servo, qui minister et servus de eo faciat, sicut sibi secundum Deum melius videbitur expedire.

Et caveant omnes fratres tam ministri et servi quam alii, quod propter peccatum alterius vel malum exemplum non turbentur vel irascantur, quia diabolus propter delictum unius multos vult corrumpere; sed spiritualiter, sicut melius possunt, adiuvent illum qui peccavit, quia *non est sanis opus medicus, sed male habentibus* (1).

Similiter omnes fratres non habeant aliquam potestatem vel dominationem maxime inter se. Sicut enim Dominus dicit in Evangelio (2): *Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent in eos*, non sic erit inter fratres; sed *quicumque voluerit inter eos maior fieri sit eorum minister* (3) et servus; et *qui maior est inter eos fiat sicut minor* (4).

---

1) Matth. 9, 12.
2) Matth. 20, 25.
3) Matth. 23, 11.
4) Luc. 22, 26.

Nec aliquis frater malum faciat vel malum dicat alteri; imo magis per caritatem spiritus voluntarie serviant et obediant invicem. Et haec est vera et sancta obedientia Domini nostri Iesu Christi. Et omnes fratres, quotiescumque declinaverint a mandatis Domini et extra obedientiam evagaverint, sicut dicit propheta (1), sciant, se esse maledictos extra obedientiam, quoadusque steterint in tali peccato scienter. Et quando perseverant in mandatis Domini, quae promiserunt per sanctum Evangelium et vitam ipsorum, sciant, se in vera obedientia stare, et benedicti sint a Domino.

VI. — De recursu fratrum ad ministros, et quod aliquis frater non vocetur prior.

Fratres, in quibuscumque locis sunt, si non possunt vitam nostram observare, quam citius possunt, recurrant ad suum ministrum hoc ipsi significantes. Minister vero taliter eis studeat providere, sicut ipse vellet sibi fieri, si in consimili casu esset. Et nullus vocetur prior, sed generaliter omnes vocentur fratres minores. Et alter alterius lavet pedes.

---

1) Cfr. Psalm. 118, 21.

VII. — De modo serviendi et laborandi.

Omnes fratres, in quibuscumque locis steterint apud alios ad serviendum vel laborandum, non sint camerarii nec cancellarii (*a*) nec praesint in domibus eorum quibus serviunt; nec recipiant aliquod officium, quod scandalum generet vel *animae suae faciat detrimentum* (1); sed sint minores et subditi omnibus, qui in eadem domo sunt.

Et fratres, qui sciunt laborare, laborent et eandem artem exerceant, quam noverint, si non fuerit contra salutem animae suae et honeste poterint operari. Nam ait propheta (2): *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit*; et apostolus (3): *Qui non vult operari non manducet* (*b*). Et *unusquisque* in ea arte et officio, *in quo vocatus est, permaneat* (4). Et possint pro labore accipere omnia necessaria praeter pecuniam. Et, cum necesse fuerit, vadant pro eleemosynis sicut alii fratres (*c*). Et liceat eis habere ferramenta et instrumenta suis artibus necessaria.

---

1) Marc. 8, 36.
2) Psalm. 127, 2.
3) II. Thess. 3, 10.
4) I. Cor. 7, 24.

Omnes fratres studeant bonis operibus insudare, quia scriptum est (1): « Semper facito aliquid boni operis, ut diabolus te inveniat occupatum »; et iterum (2): « Otiositas inimica est animae ». Ideo servi Dei semper orationi vel alicui bonae operationi insistere debent.

Caveant sibi fratres, ubicumque fuerint, in eremis vel aliis locis, quod nullum locum sibi approprient nec alicui defendant. Et quicumque ad eos venerit amicus vel adversarius, fur vel latro, benigne recipiatur. Et ubicumque sunt fratres et in quocumque loco se invenerint, spiritualiter et diligenter debeant se revereri et honorare ad *invicem sine murmuratione* (3). Et caveant sibi fratres, quod non se ostendant tristes extrinsecus et nubilosos hypocritas (*a*); sed ostendant se gaudentes in Domino et hilares et convenienter gratiosos (4).

1) Hieron., Epist. 125. (alias 4.) n. 11.

2) Anselm., Epist. 49.

3) I. Petr. 4, 9.

4) Cfr. II. Cel. 3. 68: « Pro generali commonitione in quodam capitulo scribi fecit haec verba: ‚Caveant fratres, ne se ostendant extrinsecus nubilosos et hypocritas tristes, sed ostendant se gaudentes in Domino, hilares et iucundos et convenienter gratiosos ‘ ».

VIII. — Quod fratres non recipiant pecuniam.

Dominus praecipit in Evangelio (1): *Videte, cavete ab omni* malitia et *avaritia; et attendite vobis* a sollicitudinibus huius saeculi et *a curis huius vitae.* Unde nullus fratrum, ubicumque sit et quocumque vadit, aliquo modo tollat nec recipiat nec recipi faciat pecuniam aut denarios, nec occasione vestimentorum nec librorum nec pro pretio alicuius laboris, immo nulla occasione, nisi propter manifestam necessitatem infirmorum fratrum; quia non debemus maiorem habere utilitatem et reputare in pecunia et denariis quam in lapidibus. Et illos vult diabolus obcaecare, qui eam appetunt vel reputant lapidibus meliorem. Caveamus ergo, qui omnia reliquimus, ne pro tam modico regnum caelorum perdamus. Et si in aliquo loco invenerimus denarios (*a*), de his non curemus tanquam de pulvere, quem pedibus calcamus (2), quia *vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (3). Et si forte, quod absit, contigerit, aliquem

1) Luc. 12, 15; c. 21, 34.

2) Cfr. Legenda trium soc. n. 35.

3) Eccle. 1, 2.

fratrem pecuniam vel denarios colligere vel habere, excepta solummodo praedicta infirmorum necessitate, omnes fratres teneant eum pro falso fratre et fure et latrone et loculos habente, nisi vere poenituerit. Et nullo modo fratres recipiant nec recipi faciant nec quaerant nec quaeri faciant pecuniam pro eleemosyna (*a*) neque denarios pro aliquibus domibus vel locis; neque cum persona pro talibus locis pecunias vel denarios quaerente vadant. Alia autem servitia, quae non sunt contraria vitae nostrae, possunt fratres facere cum benedictione Dei. Fratres tamen in manifesta necessitate leprosorum possint pro eis quaerere eleemosynam. Caveant tamen multum a pecunia. Similiter caveant omnes fratres, ut pro nullo turpi lucro terras circumeant.

IX. — De petenda eleemosyna.

Omnes fratres studeant sequi humilitatem et paupertatem Domini nostri Iesu Christi et recordentur, quod nihil aliud oportet nos habere de toto mundo, nisi, sicut dicit apostolus (1), *habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti*

---

1) I. Tim. 6, 8.

simus. Et debent gaudere, quando conversantur inter viles et despectas personas, inter pauperes et debiles, infirmos et leprosos et iuxta viam mendicantes. Et cum necesse fuerit, vadant pro eleemosynis. Et non verecundentur, sed magis recordentur, quia Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi omnipotentis, *posuit faciem suam ut petram durissimam* (1), nec verecundatus fuit; et fuit pauper et hospes et vixit de eleemosynis, ipse et beata Virgo et discipuli eius. Et quando facerent eis homines verecundiam et nollent eis dare eleemosynam, referant inde gratias Deo; quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri Iesu Christi. Et sciant, quod verecundia non patientibus, sed inferentibus imputatur. Et eleemosyna est hereditas et iustitia, quae debetur pauperibus, quam nobis acquisivit Dominus noster Iesus Christus. Et fratres, qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt et faciunt lucrari et acquirere tribuentes; quia omnia, quae homines relinquunt (*a*) in mundo, peribunt, sed de caritate et de eleemosynis, quas fecerunt, habebunt praemium a Domino.

---

1) Isai. 50, 7.

Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam, ut sibi necessaria inveniat et ministret. Et quilibet diligat et nutriat fratrem suum, sicut mater diligit et nutrit filium suum, in quibus Deus eis gratiam largietur. Et *qui manducat non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non iudicet* (1). Et quandocumque necessitas supervenerit, liceat universis fratribus, ubicumque fuerint, uti omnibus cibis, quos possunt homines manducare, sicut Dominus dicit de David (2), qui comedit *panes propositionis, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus*. Et recordentur, quod dicit Dominus (3): *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae, et superveniat vobis repentina dies illa; tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem orbis terrae.* Similiter etiam tempore manifestae necessitatis faciant omnes fratres de eorum necessariis, sicut eis Dominus gratiam largietur, quia necessitas non habet legem.

1) Rom. 14, 3.
2) Marc. 2, 26.
3) Luc. 21, 34. et 35.

X. — De infirmis fratribus.

Si quis fratrum in infirmitatem (*a*) ceciderit, ubicumque fuerit, alii fratres non dimittant eum, nisi constituatur unus de fratribus vel plures, si necesse fuerit, qui serviant ei, sicut vellent sibi serviri; sed in maxima necessitate possunt ipsum dimittere alicui personae, quae debeat suae satisfacere infirmitati. Et rogo fratrem infirmum, ut referat de omnibus gratias Creatori; et qualem vult eum Dominus, talem se esse desideret sive sanum sive infirmum, quia omnes, quos Deus *ad vitam praeordinavit aeternam* (1), flagellorum atque infirmitatum stimulis et compunctionis spiritu erudit, sicut Dominus dicit (2): *Ego quos amo arguo et castigo.* Si autem turbabitur vel irascetur sive contra Deum sive contra fratres vel forte postulaverit sollicite medicinas nimis desiderans liberare carnem cito morituram, quae est animae inimica, a malo sibi evenit et carnalis est, et non videtur esse de fratribus, quia plus diligit corpus quam animam (*b*).

---

1) Act. 13, 48.
2) Apoc. 3, 19.

XI. — Quod fratres non blasphement nec detrahant, sed diligant se ad invicem.

Et omnes fratres caveant sibi, ut non calumnientur aliquem *neque contendant verbis* (1), immo studeant retinere silentium, quandocumque eis Deus gratiam largietur. Neque litigent inter se (*a*) neque cum aliis, sed procurent humiliter respondere dicentes: *Servi inutiles sumus* (2). Et non irascantur, quia *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis* (3). Et diligant se ad invicem, sicut Dominus dicit (4): *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Et *ostendant ex operibus* (5) dilectionem, quam debent ad invicem, sicut dicit apostolus (6): *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*. Et *neminem blasphement* (7); non murmurent; non detrahant aliis, quia scriptum est (8): *Susurrones et detractores sunt Deo odibiles*. Et sint *modesti omnem*

1) II. Tim. 2, 14.
2) Luc. 17, 10.
3) Luc. 5, 22.
4) Ioan. 15, 12.
5) Iac. 2, 18.
6) I. Ioan. 3, 18.
7) Tit. 3, 2.
8) Rom. 1, 29. et 30.

ostendentes mansuetudinem ad omnes homines (1). Non iudicent; non condemnent; et, sicut dicit Dominus (2), non considerent minima peccata aliorum, immo magis sua *recogitent in amaritudine animae suae* (3). Et *contendant* (*a*) *intrare per angustam portam* (4), quia dicit Dominus (5): *Angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam; et pauci sunt qui inveniunt eam.*

XII. — De malo visu et frequentia mulierum vitanda.

Omnes fratres, ubicumque sunt vel vadunt, caveant sibi a malo visu et frequentia mulierum, et nullus cum eis consilietur solus (*b*). Sacerdotes honeste loquantur cum eis dando poenitentiam vel aliquod spirituale consilium. Et nulla penitus mulier ab aliquo fratre recipiatur ad obedientiam, sed dato sibi consilio spirituali, ubi (*c*) voluerit, agat poenitentiam. Et multum omnes nos custodiamus et omnia membra nostra munda teneamus, quia dicit Dominus (6): *Omnis, qui viderit*

1) Tit. 3, 2. 2) Cfr. Matth. 7, 3. et Luc. 6, 41.
3) Isai. 38, 15. 4) Luc. 13, 24.
5) Matth. 7, 14. 6) Matth. 5, 28.

mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.

XIII. — De punitione fornicatorum (*a*).

Si quis fratrum diabolo instigante fornicaretur, habitu ordinis exuatur, quem ex sua turpi iniquitate amisit, et ex toto deponat et a nostra religione penitus expellatur. Et postea poenitentiam faciat de peccatis suis.

XIV. — Quomodo fratres debeant ire per mundum.

Quando fratres vadunt per mundum, nihil portent per viam *neque sacculum neque peram neque panem neque pecuniam neque virgam.* Et *in quamcumque domum intraverint, dicant primum: Pax huic domui. Et in eadem domo manentes edant et bibant quae apud illos sunt* (1). *Non resistant malo* (2); sed, *si quis eos in maxillam percusserit, praebeant ei et alteram; et qui aufert eis vestimentum, etiam tunicam non*

1) Luc. 9, 3; c. 10, 4-8.
2) Matth. 5, 39.

prohibeant. Omni petenti se tribuant; et si quis aufert ea quae sua sunt, non repetant (1).

XV. — Quod fratres non teneant bestiam, nec equitent.

Iniungo omnibus fratribus meis tam clericis quam laicis euntibus per mundum vel morantibus in locis, quod nullo modo apud se vel apud alium nec aliquo alio modo bestiam aliquam habeant. Nec eis liceat equitare, nisi infirmitate vel magna necessitate cogantur.

XVI. — De euntibus inter saracenos et alios infideles.

Dicit Dominus (2): *Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* Unde quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter saracenos et alios infideles vadant de licentia sui ministri et servi. Minister vero det eis licentiam et non contradicat, si viderit, eos esse idoneos ad mittendum; nam tenebitur Do-

1) Luc. 6, 29. et 30. 2) Matth. 10, 16.

mino reddere rationem, si in hoc vel in aliis indiscrete processerit. Fratres vero, qui vadunt, possunt duobus modis spiritualiter (*a*) inter eos conversari. Unus modus est, quod non faciant lites neque contentiones, sed sint *subditi omni humanae creaturae propter Deum* (1), et confiteantur, se esse christianos. Alius modus est, quod, cum viderint placere Deo, annuntient verbum Dei, ut credant in Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Creatorem omnium, Redemptorem et Salvatorem Filium, ut baptizentur et efficiantur christiani, quia, *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (2).

Haec et alia, quae placuerint Domino, ipsis et aliis dicere possunt; quia dicit Dominus in Evangelio (3): *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est*; et (4): *Qui erubuerit me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua et Patris et sanctorum angelorum* (*b*).

---

1) I. Petr. 2, 13.
2) Ioan. 3, 5.
3) Matth. 10, 32. 4) Luc. 9, 26.

Et omnes fratres, ubicumque sunt, recordentur, quod dederunt se et reliquerunt corpora sua Domino nostro Iesu Christo, et pro eius amore debent se exponere inimicis tam visibilibus quam invisibilibus; quia dicit Dominus (1): *Qui perdiderit animam suam propter me salvam faciet eam* in vitam aeternam. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum* (2). *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (3). *Si autem persequuntur vos in* una *civitate, fugite in aliam* (4). *Beati estis, cum vos oderint homines et maledixerint vos et cum separaverint vos et exprobraverint et eiecerint nomen vestrum tanquam malum, et cum dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete in illa die et exsultate, quoniam merces vestra multa est in caelis* (5). *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, et nolite timere eos qui occidunt corpus et post haec non habent amplius quid*

1) Marc. 8, 35; Luc. 9, 24.
2) Matth. 5, 10.
3) Ioan. 15, 20.
4) Matth. 10, 23.
5) Matth. 5, 11. et 12; Luc. 6, 22. et 23.

faciant (1). *Videte, ne turbemini* (2). *In patientia* enim *vestra possidebitis animas vestras* (3). *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (4).

XVII. — De praedicatoribus.

Nullus fratrum praedicet contra formam et institutionem sanctae romanae Ecclesiae et nisi concessum sibi fuerit a ministro suo. Caveat vero sibi minister, ne alicui indiscrete concedat. Omnes tamen fratres operibus praedicent. Et nullus minister vel praedicator approprìet sibi ministerium fratrum (*a*) vel officium praedicationis, sed quacumque hora ei iniunctum fuerit, sine omni contradictione dimittat suum officium. Unde deprecor in *caritate, quae Deus est* (5), omnes fratres meos praedicatores, oratores, laboratores, tam clericos quam laicos, ut studeant se humiliare in omnibus, non gloriari nec in se gaudere nec interius se exaltare de bonis verbis et operibus, immo de nullo bono, quod Deus dicit vel facit et

---

1) Matth. 10, 28; Luc. 12, 4.
2) Matth. 24, 6.
3) Luc. 21, 19.
4) Matth. 10, 22.
5) Cfr. I. Ioan, 4, 8.

operatur in eis aliquando et per ipsos, secundum quod dicit Dominus (1): *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subiiciuntur vobis.*

Et firmiter sciamus, quia non pertinent ad nos nisi vitia et peccata. Et magis debemus gaudere, *cum in tentationes varias inciderimus* (2), et cum sustinemus quascumque animae vel corporis angustias aut tribulationes in hoc mundo propter vitam aeternam. Omnes ergo fratres caveamus ab omni superbia et vana gloria. Custodiamus nos a sapientia huius mundi et a prudentia carnis; spiritus enim carnis vult et studet multum ad verba habenda, sed parum ad operationem, et quaerit non religionem et sanctitatem interiorem spiritus (*a*), sed vult et desiderat religionem et sanctitatem foris apparentem hominibus. Et isti sunt, de quibus dicit Dominus (3): *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Spiritus autem Domini vult, mortificatam et despectam, vilem et abiectam et opprobriosam esse carnem, et studet ad humilitatem et patientiam, puram simplicitatem (*b*) et veram pacem spiritus; et semper super omnia desiderat divinum timorem et

1) Luc. 10, 20.
2) Iac. 1, 2.
3) Matth. 6, 2.

divinam sapientiam et divinum amorem Patris et Filii et Spiritus sancti.

Et omnia bona Domino Deo altissimo et summo reddamus et omnia bona ipsius esse recognoscamus et de omnibus ei gratias referamus, a quo bona cuncta procedunt. Et ipse altissimus et summus, solus verus Deus habeat et ei reddantur et ipse recipiat omnes honores et reverentias, omnes laudes et benedictiones, omnes gratias et omnem gloriam, cuius est omne bonum, qui *solus* est *bonus* (1). Et quando videmus vel audimus, malum dici vel fieri vel blasphemari Deum (*a*), nos benedicamus et benefaciamus et laudemus Dominum, qui est benedictus in saecula. Amen.

XVIII. — Qualiter ministri conveniant ad invicem.

Quolibet anno unusquisque minister cum fratribus suis possit convenire, ubicumque placuerit eis, in festo S. Michaelis archangeli de his quae ad Deum pertinent, tractaturus. Omnes autem ministri, qui sunt in ultramarinis et ultramontanis partibus, semel in tribus annis, et alii mi-

---

1) Luc. 18, 19.

nistri semel in anno veniant ad capitulum in festo Pentecostes apud ecclesiam sanctae Mariae de Portiuncula, nisi a ministro et servo totius fraternitatis aliter fuerit ordinatum.

XIX. — Quod fratres vivant catholice.

Omnes fratres sint catholici, vivant et loquantur catholice. Si quis vero erraverit a fide et vita catholica in dicto vel in facto et non se emendaverit, a nostra fraternitate penitus expellatur. Et omnes clericos et omnes religiosos habeamus pro dominis in his quae spectant ad salutem animae et a nostra religione non deviant, et ordinem et officium eorum et administrationem in Domino veneremur (*a*).

XX. — De confessione fratrum et de receptione corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi.

Fratres mei benedicti tam clerici quam laici confiteantur peccata sua sacerdotibus nostrae religionis. Et si non poterunt, confiteantur aliis discretis et catholicis sacerdotibus scientes firmiter et attendentes, quia, a quibuscumque sacer-

dotibus catholicis acceperint poenitentiam et absolutionem, absoluti erunt procul dubio ab illis peccatis, si poenitentiam sibi iniunctam procuraverint humiliter et fideliter observare (*a*). Si vero tunc sacerdotem habere non poterunt, confiteantur fratri suo, sicut dicit apostolus Iacobus (1): *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Non tamen ob hoc (*b*) dimittant recurrere ad sacerdotes, quia potestas ligandi et solvendi solis sacerdotibus est concessa. Et sic contriti et confessi sumant corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi cum magna humilitate et veneratione recordantes, quod ipse Dominus dicit (2): *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam;* et (3): *Hoc facite in meam commemorationem.*

XXI. — De laude et exhortatione, quam possunt facere fratres.

Et hanc vel (*c*) talem exhortationem et laudem omnes fratres mei, quandocumque placuerit eis, annuntiare possunt inter quoscumque homines cum benedictione Dei: Timete et honorate, laudate

1) Iac. 5, 16.
2) Ioan. 6, 55. 3) Luc. 22, 19.

et benedicite, *gratias agite* (1) et adorate Dominum Deum omnipotentem in Trinitate et Unitate, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Creatorem omnium. *Agite poenitentiam, facite dignos fructus poenitentiae* (2), quia scitote, quod cito moriemini. *Date, et dabitur vobis. Dimittite, et dimittetur vobis* (3). Et *si non dimiseritis* hominibus peccata eorum, *Dominus non dimittet vobis peccata vestra* (4). *Confitemini* omnia *peccata vestra* (5). Beati qui moriuntur in poenitentia, quia erunt in regno caelorum. Vae illis qui non moriuntur in poenitentia, quia erunt filii diaboli, cuius opera faciunt (6), et ibunt in ignem aeternum. Cavete et abstinete ab omni malo et perseverate usque in finem in bono.

XXII. — De admonitione fratrum.

Attendamus, omnes fratres, quod dicit Dominus (7): *Diligite inimicos vestros et benefacite his qui oderunt vos*. Nam et Dominus noster Iesus Christus, *cuius vestigia sequi* (8) debemus, traditorem

1) Thess. 5, 18.
2) Matth. 3, 2. et Luc. 3, 8.
3) Luc. 6, 37. et 38.
4) Marc. 11, 26.
5) Iac. 5, 16.
6) Cfr. Ioan. 8, 44.
7) Matth. 5, 44.
8) I. Petr. 2, 21.

suum vocavit amicum (1) et crucifixoribus suis sponte se obtulit. Amici igitur nostri sunt omnes illi qui nobis iniuste inferunt tribulationes et angustias, verecundias et iniurias, dolores et tormenta, martyrium et mortem; quos multum diligere debemus, quia ex hoc quod nobis inferunt, habemus vitam aeternam. Et odio habeamus corpus nostrum cum suis vitiis et peccatis, quia carnaliter vivendo vult (*a*) nobis auferre amorem Domini nostri Iesu Christi et vitam aeternam et se ipsum cum omnibus perdere in infernum; quia nos per culpam nostram sumus foetidi, miseri et bono contrarii, ad mala autem prompti et voluntarii, quia, sicut dicit Dominus in Evangelio (2): *De corde hominum procedunt et exeunt cogitationes malae, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiae, nequitiae, dolus, impudicitia, oculus malus, falsa testimonia, blasphemiae, superbia, stultitia. Haec* omnia *mala ab intus* de corde hominis *procedunt,* et *haec sunt quae coinquinant hominem* (3).

Nunc autem, postquam dimisimus mundum, nihil aliud habemus facere, nisi solliciti simus

1) Cfr. Matth. 26, 50.
2) Matth. 15, 19. et Marc. 7, 21. et 22.
3) Marc. 7, 23. et Matth. 15, 20.

sequi voluntatem Domini et placere ipsi. Multum caveamus, ne simus terra secus viam vel petrosa vel spinosa, secundum quod dicit Dominus in Evangelio (1): *Semen est verbum Dei. Quod autem secus viam cecidit et conculcatum est hi sunt, qui audiunt verbum et non intelligunt; et confestim venit diabolus et rapit quod seminatum est in cordibus eorum, et tollit verbum de cordibus eorum, ne credentes salvi fiant. Quod autem super petrosam cecidit hi sunt, qui, cum audierint verbum, statim cum gaudio suscipiunt illud; facta autem tribulatione et persecutione, propter verbum continuo scandalizantur, et hi radicem in se non habent, sed temporales sunt, quia ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinis cecidit hi sunt, qui verbum Dei audiunt; et sollicitudo et aerumnae istius saeculi et fallacia divitiarum et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur. Quod autem in terram bonam seminatum est hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum intelligunt et retinent et fructum afferunt in patientia.*

---

1) Matth. 13, 19-23; Marc. 4, 15-20; Luc. 8, 11-15.

Et propterea nos fratres, sicut dicit Dominus (1), *dimittamus mortuos sepelire mortuos suos*. Et multum caveamus a malitia et subtilitate satanae, qui vult, ne homo mentem suam et cor habeat ad Dominum Deum; et circumiens desiderat cor hominis sub specie alicuius mercedis vel adiutorii tollere et suffocare verbum et praecepta Domini a memoria et vult cor hominis per saecularia negotia et curam excaecare et ibi habitare, sicut dicit Dominus (2): *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa quaerens requiem; et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Unde, omnes fratres, custodiamus nos multum, ne sub specie alicuius mercedis vel operis vel adiutorii perdamus aut tollamus mentem nostram et cor a Domino (*a*). Sed in sancta *caritate, quae Deus est* (3), rogo omnes

1) Matth. 8, 22.
2) Matth. 12, 43-45; Luc. 11, 24-26.
3) I. Ioan. 4, 16.

fratres tam ministros quam alios, ut omni impedimento remoto et omni cura et sollicitudine postposita, quocumque modo melius possunt, debeant servire, amare, adorare et honorare Dominum Deum mundo corde et pura mente, quod ipse super omnia quaerit. Ac semper faciamus in nobis (*a*) habitaculum et mansionem ipsi, qui est Dominus Deus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui dicit (1): *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia* mala, *quae ventura sunt, et stare ante Filium hominis. Et cum stabitis ad orandum* (2), dicite: *Pater noster, qui es in caelis.* Et adoremus eum puro corde, *quoniam oportet semper orare et non deficere* (3); nam *Pater tales quaerit adoratores. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (4). Et ad ipsum recurramus tanquam *ad pastorem et episcopum animarum nostrarum* (5), qui dicit (6): *Ego sum Pastor bonus,* qui pasco oves meas *et animam meam pono pro ovibus meis. Omnes autem vos fratres estis; et patrem nolite vocare vobis super*

---

1) Luc. 21, 36.
2) Marc. 11, 25.
3) Luc. 18, 1.
4) Ioan. 4, 23. et 24.
5) I. Petr. 1, 25.
6) I. Ioan. 10, 11. et 15.

terram, unus est enim Pater vester, qui in caelis est. Nec vocemini magistri; unus est enim Magister vester, qui in caelis est, *Christus* (1). *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis* (2). *Ubicumque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (3). *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* (4). *Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (5). *Ego sum via, veritas et vita* (6).

Teneamus ergo verba, vitam et doctrinam et sanctum eius Evangelium, qui dignatus est pro nobis rogare Patrem suum et nomen eius nobis manifestare dicens (7): *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi; quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, et omnia mea tua sunt. Pater*

1) Matth. 23, 8-10.
2) Ioan. 15, 7.
3) Matth. 18, 20.
4) Matth. 28, 20.
5) Ioan. 6, 64.
6) Ioan. 14, 6.
7) Ioan. 17, 6-26.

sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Haec loquor in mundo, ut habeant gaudium impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. Sanctifica (a) eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt propter verbum eorum in me, ut sint consummati (b) in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. Et notum faciam eis nomen tuum, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem tuam in regno tuo.

XXIII. — Oratio, laus et gratiarum actio.

Omnipotens, altissime, sanctissime et summe Deus, Pater sancte et iuste, Domine Rex caeli et terrae, propter temetipsum gratias agimus tibi,

quia per sanctam voluntatem tuam et per unicum (*a*) Filium tuum in Spiritu sancto creasti omnia spiritualia et corporalia et nos *ad imaginem tuam et similitudinem factos in paradiso posuisti* (1); et nos per culpam nostram cecidimus. Et gratias agimus tibi, quia, sicut per Filium tuum nos creasti, sic et per veram et sanctam *dilectionem* tuam, *qua dilexisti* nos (2), ipsum verum Deum et verum hominem ex gloriosa semper Virgine beatissima sancta Maria nasci fecisti, et per crucem et sanguinem et mortem ipsius nos captivos redimi voluisti. Et gratias agimus tibi, quia ipse Filius tuus iterum venturus est in gloria maiestatis suae mittere maledictos, qui poenitentiam non egerunt et te non cognoverunt, in ignem aeternum et dicere omnibus, qui te cognoverunt et adoraverunt et tibi servierunt in poenitentia: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (3).

Et quia omnes nos miseri et peccatores non sumus digni nominare te, suppliciter exoramus, ut Dominus noster Iesus Christus Filius tuus dilectus, *in quo tibi bene complacuit* (4), una cum Spi-

---

1) Cfr. Gen. 1, 26. et 2, 15. 2) Ioan. 17, 26.
3) Matth. 25, 34. 4) Matth. 17, 5.

ritu sancto Paracleto gratias agat tibi, sicut tibi et ipsis placet, pro omnibus, qui tibi semper sufficit ad omnia, per quem nobis tanta fecisti. Alleluia. Et gloriosam matrem beatissimam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem, Gabrielem, Raphaelem et omnes choros beatorum spirituum, seraphim, cherubim et thronorum, dominationum, principatuum et potestatum, virtutum, angelorum, archangelorum, B. Ioannem Baptistam, Ioannem evangelistam, Petrum, Paulum et beatos patriarchas, prophetas, Innocentes, apostolos, evangelistas, discipulos, martyres, confessores, virgines, beatos Eliam et Enoch et omnes sanctos, qui fuerunt et erunt et sunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, ut, sicut tibi placet, pro his tibi gratias referant summo vero Deo, aeterno et vivo, cum Filio tuo carissimo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto Paracleto in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Et Domino Deo universos intra sanctam Ecclesiam catholicam et apostolicam servire volentes et omnes ecclesiasticos (*a*) ordines, sacerdotes, diaconos, subdiaconos, acolythos, exorcistas, lectores, ostiarios et omnes clericos, universos religiosos et universas religiosas (*b*), omnes pueros et parvulos, pauperes et egenos, reges et principes, la-

boratores, agricolas, servos et dominos, omnes virgines, continentes et maritatas, laicos, masculos et feminas, omnes infantes, adolescentes, iuvenes et senes, sanos et infirmos, omnes pusillos et magnos et omnes populos, gentes, tribus et linguas, omnes nationes et omnes homines ubique terrarum, qui sunt et erunt, humiliter rogamus et supplicamus nos omnes fratres minores, servi inutiles, ut omnes in vera fide et poenitentia perseveremus, quia aliter nullus salvari potest. Omnes diligamus *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute* et *fortitudine, ex toto intellectu* et *omnibus viribus* (1), toto nisu, toto affectu, totis visceribus, totis desideriis et voluntatibus Dominum Deum, qui totum corpus, totam animam et totam vitam dedit et dat omnibus nobis, qui nos creavit et redemit et sola sua misericordia salvabit(*a*), qui nobis miserabilibus et miseris, putridis et foetidis, ingratis et malis omnia bona fecit et facit.

Nihil ergo aliud desideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat et delectet nos nisi Creator et Redemptor et Salvator noster, solus verus Deus, qui est plenum bonum, omne bonum,

1) Deut. 6, 5; Marc. 12, 30. et 33; Luc. 10, 27.

totum bonum, verum et summum bonum, qui *solus* est *bonus* (1), pius et mitis, suavis et dulcis, qui solus est sanctus, iustus, verus et rectus, qui solus est benignus, innocens et mundus, a quo et per quem et in quo est omnis venia, omnis gratia, omnis gloria omnium poenitentium et iustorum, omnium beatorum in caelis congaudentium. Nihil ergo nos impediat, nihil separet, nihil interpolet. Ubique (*a*) nos omnes, omni loco, omni hora et omni tempore, quotidie (*b*) et continue credamus veraciter et humiliter et in corde teneamus et amemus, honoremus, adoremus, serviamus, laudemus et benedicamus, glorificemus et superexaltemus, magnificemus et gratias agamus altissimo et summo Deo aeterno, Trinitati et Unitati, Patri et Filio et Spiritui sancto, Creatori omnium, Salvatori in se credentium et sperantium et diligentium eum, qui sine initio et sine fine, immutabilis (*c*), invisibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, investigabilis, benedictus, laudabilis, gloriosus, superexaltatus, sublimis, excelsus, suavis, amabilis, delectabilis et totus semper super omnia desiderabilis est in saecula saeculorum.

---

1) Luc. 18, 19.

In nomine Domini rogo omnes fratres, ut addiscant tenorem et sensum eorum quae in ista vita ad salvationem animae nostrae scripta sunt, et ista frequenter ad memoriam reducant. Et exoro Deum, ut ipse, qui est omnipotens, trinus et unus, benedicat omnes docentes, discentes, habentes, recordantes et operantes ista, quoties repetunt et faciunt quae ibi ad salvationem nostram scripta sunt. Et deprecor omnes cum osculo pedum, ut multum diligant, custodiant et reponant haec (*a*). Et ex parte Dei omnipotentis et domini papae et per obedientiam ego frater Franciscus firmiter praecipio et iniungo, ut ex his quae in ista vita scripta sunt, nullus minuat vel in ipsa scriptum aliquod desuper addat, nec aliam regulam fratres habeant.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Regula II.

FRATRUM MINORUM

I. — In nomine Domine incipit vita minorum fratrum.

Regula et vita minorum fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus et Ecclesiae romanae. Et alii fratres teneantur fratri Francisco et eius successoribus obedire.

II. — De his qui volunt vitam istam accipere, et qualiter recipi debeant.

Si qui voluerint hanc vitam accipere et venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros provinciales, quibus solummodo et non aliis recipiendi fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis. Et si haec omnia credant et velint ea fideliter confiteri et usque in finem firmiter observare et uxores non habent vel, si habent, et iam monasterium intraverint uxores vel licentiam eis dederint auctoritate dioecesani episcopi, voto continentiae iam emisso, et illius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Evangelii (1), quod vadant et vendant omnia sua et ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres et eorum ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant mi-

1) Cfr. Matth. 19, 21.

nistri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio et cingulum et braccas et caparonem usque ad cingulum, nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam promittentes vitam istam semper et regulam observare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire iuxta mandatum domini papae (1); quia secundum sanctum Evangelium (2) *nemo mittens manum suam ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei.* Et illi qui iam promiserunt obedientiam habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur possint portare calceamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur et possint ea repeciare de saccis et aliis peciis cum benedictione Dei. Quos moneo et exhortor, ne despiciant neque iudicent homines, quos vident mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis, sed magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum.

---

1) Cfr. pag. 26. not. 1.
2) Luc. 9, 62.

III. — De divino officio et ieiunio, et quomodo fratres debeant ire per mundum.

Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae romanae Ecclesiae excepto psalterio, ex quo habere poterunt breviaria. Laici vero dicant viginti quatuor *Pater noster* pro matutino, pro laude quinque, pro prima, tertia, sexta, nona, pro qualibet istarum septem, pro vesperis autem duodecim, pro completorio septem; et orent pro defunctis.

Et ieiunent a festo omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecravit (1), qui voluntarie eam ieiunant benedicti sint a Domino, et qui nolunt non sint astricti. Sed aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare. Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali.

1) Cfr. Matth. 4, 2.

Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent *neque contendant verbis* (1) nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. *In quamcumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui.* Et secundum sanctum Evangelium (2) de omnibus cibis, *qui apponuntur eis,* liceat *manducare.*

IV. — Quod fratres non recipiant pecuniam.

Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis per amicos spirituales ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire; eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

1) Cfr. II. Tim. 2, 14. et Tit. 3, 2.
2) Luc. 10, 5. et 8.

V. — De modo laborandi.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire. De mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant praeter denarios vel pecuniam, et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

VI. — Quod nihil appropient sibi fratres, et de eleemosyna petenda et de fratribus infirmis.

Fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem. Et *tanquam peregrini et advenae* (1) in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, heredes

1) Cfr. I. Petr. 2, 11.

et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit *portio* vestra, quae perducit *in terram viventium* (1). Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis.

Et, ubicumque sunt et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se. Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam, quia, si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? Et, si quis eorum in infirmitatem (*a*) ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

VII. — De poenitentia fratribus peccantibus imponenda.

Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur praedicti fratres ad eos recurrere, quam citius poterint, sine mora. Ipsi vero ministri, si presbyteri sunt,

1) Cfr. Psalm. 141, 7.

cum misericordia iniungant illis poenitentiam; si vero presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. Et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem.

VIII. — De electione generalis ministri huius fraternitatis et de capitulo Pentecostes.

Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum et servum totius fraternitatis et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum; et hoc semel in tribus annis vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut a praedicto ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum, praedictum ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum, teneantur praedicti fratres, quibus ele-

ctio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post capitulum vero Pentecostes ministri et custodes possint singuli, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel fratres suos ad capitulum convocare.

IX. — De praedicatoribus.

Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo officium sibi praedicationis concessum. Moneo quoque et exhortor eosdem fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint *examinata* et *casta* eorum *eloquia* (1), ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis; quia *verbum abbreviatum fecit Dominus super terram* (2).

X. — De admonitione et correctione fratrum.

Fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres suos et hu-

1) Cfr. Psalm. 11, 6. et Ps. 17, 30. 2) Rom. 9, 28.

militer et caritative corrigant eos non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et regulam nostram. Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare et non sunt contraria animae et regulae nostrae. Et, ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis; nam ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum.

Moneo vero et exhortor in Domino Iesu Christo, ut *caveant* fratres *ab omni* superbia, vana gloria, invidia, *avaritia* (1), cura et sollicitudine huius saeculi, detractione et murmuratione. Et non curent nescientes litteras litteras discere, sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad eum puro corde et habere humilitatem, patientiam in persecutione et infirmitate et dili-

1) Cfr. Luc. 12, 15.

gere eos qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus (1): *Diligite inimicos vestros et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum* (2). *Qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (3).

XI. — Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum.

Praecipio firmiter fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum; et ne ingrediantur monasteria monacharum praeter illos, quibus a sede apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne (*a*) hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur.

XII. — De euntibus inter saracenos et alios infideles.

Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter saracenos et alios infideles pe-

---

1) Matth. 5, 44.
2) Matth. 5, 10.
3) Matth. 10, 22.

tant inde licentiam a suis ministris provincialibus. Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum.


Ad haec per obedientiam iniungo ministris, ut petant a domino papa unum de sanctae romanae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sanctae Ecclesiae *stabiles in fide* (1) catholica paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

1) Col. 1, 23.



Ex Regula

SORORUM S. CLARAE



Forma vivendi, quam scripsit S. Franciscus S. Clarae.

Quia divina inspiratione fecistis vos filias et ancillas altissimi summi regis Patris caelestis et Spiritui sancto vos desponsastis eligendo vivere secundum perfectionem sancti Evangelii, volo et promitto per me et fratres meos semper habere de vobis tanquam de ipsis curam diligentem et sollicitudinem specialem.

Ultima voluntas, quam scripsit S. Franciscus S. Clarae.

Ego frater Franciscus parvulus volo sequi vitam et paupertatem altissimi Domini nostri Iesu Christi et eius sanctissimae matris et perseverare in ea usque in finem. Et rogo vos, dominas meas, et consilium do vobis, ut in ista sanctissima vita et paupertate semper vivatis. Et custodite vos multum, ne doctrina vel consilio alicuius ab ipsa in perpetuum ullatenus recedatis.



Testamentum

S. PATRIS FRANCISCI

Dominus ita dedit mihi fratri Francisco incipere facere (*a*) poenitentiam, quia, cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos; et ipse Dominus conduxit me inter illos, et feci misericordiam cum illis (1). Et recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animi et corporis. Et postea parum steti et exivi de saeculo. Et Dominus dedit mihi tantam (*b*) fidem in ecclesiis, ut ita simpliciter orarem et dicerem: *Adoramus te,*

---

1) Cfr. I. Cel. n. 17.

Domine Iesu Christe, hic (*a*) *et ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.*

Postea Dominus dedit mihi et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae romanae Ecclesiae propter ordinem ipsorum, quod, si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et, si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes huius saeculi, in parochiis, in quibus (*b*) morantur, nolo praedicare ultra voluntatem ipsorum. Et ipsos et omnes alios volo timere, amare et honorare sicut meos dominos; et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in ipsis, et domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso altissimo Filio Dei nisi sanctissimum corpus et (*c*) sanguinem suum, quod ipsi recipiunt et ipsi soli aliis administrant. Et haec sanctissima mysteria super omnia volo honorari (*d*), venerari et in locis pretiosis collocari. Sanctissima nomina et verba eius scripta, ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere et rogo, quod colligantur et in loco honesto collocentur. Et omnes theologos et qui ministrant sanctissima

verba divina debemus honorare et venerari sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam (1).

Et, postquam Dominus dedit mihi de fratribus, nemo ostendebat mihi, quid deberem facere; sed ipse Altissimus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti Evangelii (2). Et ego paucis verbis et simpliciter feci scribi; et dominus papa confirmavit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendam vitam istam (*a*), omnia, quae habere poterant, dabant pauperibus et erant contenti tunica una intus et foris repeciata, qui volebant (*b*), cum cingulo et braccis. Et nolebamus plus habere.

Officium dicebamus clerici secundum alios clericos, laici dicebant *Pater noster;* et satis libenter manebamus in ecclesiis. Et eramus idiotae et subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam et volo laborare; et omnes alii fratres firmiter volo quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Qui nesciunt discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter exemplum et ad repellendam otiositatem. Et, quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim.

---

1) Cfr. II. Cel. 3, 99. 2) Cfr. Leg. trium soc. n. 29.

Salutationem mihi Dominus revelavit, ut diceremus: *Dominus det tibi pacem* (1). Caveant sibi fratres, ut ecclesias, habitacula paupercula et omnia alia, quae pro ipsis construuntur (*a*), penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem, quam in regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut advenae et peregrini (2).

Praecipio firmiter per obedientiam (*b*) fratribus universis, quod, ubicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in curia romana per se neque per interpositam personam, neque pro ecclesia neque pro alio loco (*c*), neque sub specie praedicationis neque pro persecutione suorum corporum, sed, ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam poenitentiam cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire ministro generali huius fraternitatis et alii guardiano, quem sibi placuerit mihi dare. Et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra obedientiam et voluntatem suam, quia dominus meus est. Et, quamvis sim simplex

1) Cfr. Bonav., Legenda S. Franc. c. 3. n. 2.

2) Cfr. Fr. Leo, S. Francisci Intentio regulae, n. 14. et 15. (Lemmens, Documenta Antiqua Franciscana, p. I. pag. 97).

et infirmus, tamen semper volo habere clericum, qui mihi faciat officium, sicut in regula continetur.

Et omnes alii fratres teneantur ita obedire guardianis suis et facere officium secundum regulam. Et qui inventi essent, qui non facerent officium secundum regulam et vellent alio modo variare aut non essent catholici, omnes fratres, ubicumque sunt, per obedientiam teneantur, quod, ubicumque invenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant repraesentare. Et custos firmiter teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire sicuti hominem in vinculis die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus suis, donec propria sua persona repraesentet eum in manibus sui ministri. Et minister firmiter teneatur per obedientiam mittere (*a*) ipsum per tales fratres, qui die noctuque custodiant ipsum sicut hominem in vinculis, donec repraesentent ipsum coram domino Ostiensi, qui est dominus, protector et corrector totius fraternitatis (*b*).

Et non dicant fratres: Haec est alia regula; quia haec est recordatio, admonitio et exhortatio et meum testamentum, quod ego frater Franciscus parvulus facio vobis fratribus meis benedictis

propter hoc, ut regulam, quam Domino promisimus, melius catholice observemus. Et generalis minister et omnes alii ministri et custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum iuxta regulam. Et in omnibus capitulis, quae faciunt, quando legunt regulam, legant et ista verba. Et omnibus fratribus meis clericis et laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in regula neque in istis verbis (*a*) dicendo: Ita volunt intelligi; sed, sicut dedit mihi Dominus simpliciter et pure dicere et scribere regulam et ista verba, ita simpliciter et pure (*b*) intelligatis et cum sancta operatione observetis usque in finem.

Et quicumque haec (*c*) observaverit in caelo repleatur benedictione altissimi Patris et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui cum sanctissimo Spiritu Paracleto et omnibus virtutibus caelorum et omnibus sanctis. Et ego frater Franciscus, parvulus vester et servus, quantumcumque possum, confirmo vobis intus et extra istam sanctissimam benedictionem (*d*). Amen.

De religiosa habitatione in eremo.

Illi qui volunt religiose stare in eremitoriis sint tres fratres aut quatuor ad plus (*a*). Duo ex ipsis sint matres et habeant duos filios vel unum ad minus. Illi autem teneant vitam Marthae et alii duo vitam Mariae Magdalenae (1).

Illi qui tenebunt vitam Mariae habeant unum claustrum, et quilibet habeat locum suum, ita quod non habitent simul neque cubent (*b*). Et semper dicant completorium de die, quando sol revertitur ad occasum, et studeant tenere silentium et dicant

1) Cfr. Gregor., VI. Moral. c. 37. n. 61: « Quid per Mariam, quae verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam nisi activa vita signatur » ?

horas suas et surgant ad matutinum; et *primum quaerant regnum Dei et iustitiam eius* (1). Et hora congrua dicant primam et tertiam et post horam tertiam absolvant silentium et possint loqui et ire ad matres suas et, quando placuerit, possint petere ab eis eleemosynam propter amorem Domini Dei sicut parvuli (*a*) pauperes. Et postea dicant sextam et nonam et vesperas tempore debito.

Et in claustro, ubi morantur, non permittant aliquam (*b*) personam introire neque ibi comedant. Et illi fratres, qui sunt matres, studeant manere remote ab omni persona et per obedientiam sui custodis (*c*) custodiant filios suos ab omni persona, ut nemo possit loqui cum eis. Et isti filii non loquantur cum aliqua persona nisi cum matribus suis et cum custode suo (*d*), quando placebit ei visitare ipsos cum benedictione Dei. Filii vero officium matrum quandoque assumant, sicut vicissitudinaliter pro tempore visum fuerit eis disponendum. Qui omnia supradicta studiose et sollicite studeant observare (*e*).

(1) Luc. 12, 31.



Pars II.

EPISTOLAE



Epistola I.

Litterae, quas misit omnibus fidelibus.

Universis christianis, religiosis, clericis et laicis, masculis et feminis, omnibus qui habitant in universo mundo, frater Franciscus, eorum servus et subditus, obsequium cum reverentia, pacem veram de caelo et sinceram in Domino caritatem.

Cum sim servus omnium, omnibus servire teneor et administrare odorifera verba Domini mei (*a*). Unde in mente considerans, quod (*b*) personaliter propter infirmitatem et debilitatem corporis mei non possum singulos visitare, proposui litteris praesentibus et nuntiis (*c*) verba Domini nostri Iesu Christi, qui est Verbum Patris, vobis referre et verba Spiritus sancti, quae *spiritus et vita sunt* (1).

---

1) Ioan. 6, 64.

Istud Verbum Patris tam dignum, tam sanctum et gloriosum nuntiavit altissimus Pater de caelo venturum per sanctum Gabrielem archangelum suum sanctae et gloriosae Virgini Mariae (1), ex cuius utero veram recepit carnem humanitatis et fragilitatis nostrae (*a*). Qui, *cum dives esset* (2) super omnia, voluit tamen ipse cum beatissima matre sua eligere paupertatem.

Et prope passionem suam celebravit pascha cum discipulis suis et *accipiens panem gratias egit et benedixit et fregit dicens: Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem dixit: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (3). Deinde oravit ad Patrem dicens: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (4). *Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* (5). Posuit tamen voluntatem suam in voluntate Patris dicens: *Pater, fiat voluntas tua, non, sicut ego volo, sed sicut tu* (6). Cuius Patris talis fuit volun-

---

1) Luc. 1, 31. 2) II. Cor. 8, 9.
3) Matth. 26, 26-28; Luc. 22, 19-20; I. Cor. 11, 24-25.
4) Matth. 26, 39. 5) Luc. 22, 44.
6) Matth. 26, 42. 39.

tas, ut Filius eius benedictus et gloriosus, quem dedit nobis et natus fuit pro nobis (*a*), se ipsum per proprium sanguinem suum sacrificium et hostiam in ara crucis offerret, non pro se, *per quem facta sunt omnia* (1), sed pro peccatis nostris *relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius* (2). Et vult, ut omnes salvemur per ipsum (*b*) et recipiamus ipsum puro corde et casto corpore. Sed pauci sunt qui velint eum recipere et salvi esse per eum, licet eius *iugum suave* sit et *onus* eius *leve* (3).

Qui nolunt *gustare, quam suavis sit Dominus* (4), et *diligunt tenebras magis quam lucem* (5) nolentes adimplere mandata Dei maledicti sunt; de quibus dicitur per prophetam: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis* (6). Sed, o quam beati et benedicti sunt illi qui Dominum diligunt et faciunt, sicut dicit ipse Dominus in Evangelio (7): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et proximum tuum sicut te ipsum.* Diligamus igitur Deum et adoremus eum

---

1) Ioan. 1, 3.
2) I. Petr. 2, 21.
3) Matth. 11, 30.
4) Psalm. 33, 8.
5) Ioan. 3, 19.
6) Psalm. 118, 21.
7) Matth. 22, 37. 39.

puro corde et pura mente, quia ipse super omnia quaerens hoc dicit (1): *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Omnes enim, *qui adorant eum, in spiritu veritatis oportet eum adorare* (2). Et dicamus ei laudes et orationes die ac nocte dicendo: *Pater noster, qui es in caelis,* quia *oportet nos semper orare et non deficere* (3).

Debemus siquidem confiteri sacerdoti omnia peccata nostra et recipere ab eo corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi (*a*). Qui non manducat suam carnem et non bibit suum sanguinem, non potest introire in regnum Dei (4). Digne tamen manducet et bibat, quia *qui indigne recipit iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini* (5), id est non discernens ab aliis cibis.

Faciamus insuper *fructus dignos poenitentiae* (6). Et diligamus proximos sicut nosmetipsos; et, si quis non vult vel non potest eos diligere sicut se ipsum (*b*), saltem non inferat eis mala, sed faciat eis bona.

Qui autem potestatem iudicandi alios receperunt iudicium cum misericordia (*c*) exerceant, sicut

---

1) Ioan. 4, 23.
2) Ioan. 4, 24.
3) Luc. 18, 1.
4) Cfr. Ioan. 6, 54.
5) I. Cor. 11, 29.
6) Luc. 3, 8.

ipsi volunt a Domino misericordiam obtinere. *Iudicium enim sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam* (1). Habeamus itaque caritatem et humilitatem et faciamus eleemosynas, quia ipsae lavant animas a sordibus peccatorum (2). Homines enim omnia perdunt, quae in hoc saeculo relinquunt; secum tamen portant caritatis mercedem et eleemosynas, quas fecerunt, de quibus habebunt a Domino praemium et dignam remunerationem.

Debemus etiam ieiunare et *abstinere a* vitiis et *peccatis* (3) et a superfluitate cibi et potus et esse catholici (*a*). Debemus etiam ecclesias visitare frequenter et revereri clericos, non tantum propter eos, si sunt peccatores, sed propter officium et administrationem sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod sacrificant in altari et recipiunt et aliis administrant. Et firmiter sciamus omnes, quia nemo potest salvari nisi per sanguinem Domini nostri Iesu Christi et per sancta verba Domini (*b*), quae clerici dicunt et annuntiant et administrant et ipsi soli administrare debent et non alii.

---

1) Iac. 2, 13.
2) Cfr. Tob. 4, 11. 3) Eccli. 3, 32.

Specialiter autem religiosi, qui renuntiaverunt saeculo, tenentur plura et maiora *facere* (*a*), *sed ista non dimittere* (1).

Debemus odio habere corpora nostra cum vitiis et peccatis, quia Dominus dicit in Evangelio (2): Omnia vitia et peccata *de corde exeunt. Debemus diligere inimicos nostros et benefacere his qui oderunt nos* (3). Debemus observare praecepta et consilia Domini nostri Iesu Christi. Debemus etiam nosmetipsos abnegare et ponere corpora nostra sub iugo servitutis et sanctae obedientiae, sicut unusquisque promisit Domino. Et nullus homo teneatur ex obedientia obedire alicui in eo, ubi (*b*) committitur peccatum vel delictum.

Ille autem, cui obedientia commissa est, et *qui* habetur *maior, sit sicut minor* (4) et aliorum fratrum servus et in singulos fratres suos misericordiam faciat et habeat, quam vellet sibi fieri, si in consimili casu esset. Nec ex delicto fratris irascatur in fratrem, sed cum omni patientia et humilitate ipsum benigne moneat et sustineat.

---

1) Luc. 11, 42. 2) Matth. 15, 18. 19.
3) Luc. 6, 27. 4) Luc. 22, 26.

Non debemus *secundum carnem* esse *sapientes* (1) atque prudentes, sed magis debemus esse simplices, humiles et puri. Et habeamus corpora nostra in opprobrium et despectum, quia omnes per culpam nostram sumus miseri et putridi, foetidi et vermes, sicut dicit Dominus per prophetam (2): *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis*. Nunquam debemus desiderare esse super alios, sed magis debemus esse servi et *subditi omni humanae creaturae propter Deum* (3). Et omnes, qui talia fecerint et perseveraverint usque in finem, *requiescet super eos Spiritus Domini* (4) et *faciet in eis* habitaculum et *mansionem* (5), et erunt *filii Patris caelestis* (6), cuius opera faciunt, et sunt sponsi, fratres et matres Domini nostri Iesu Christi. Sponsi sumus, quando per Spiritum sanctum (*a*) coniungitur fidelis anima Iesu Christo. Fratres eius sumus, quando *facimus voluntatem Patris* eius, *qui est in caelo* (7). Matres eius sumus, quando portamus eum in corde et corpore nostro per amorem et

---

1) I. Cor. 1, 26.
2) Psalm. 21, 6.
3) I. Petr. 2, 13.
4) Isai. 11, 2.
5) Cfr. Ioan. 14, 23.
6) Matth. 5, 45.
7) Matth. 12, 50.

puram et sinceram conscientiam et parturimus eum per sanctam operationem, quae lucere debet aliis in exemplum.

O quam gloriosum et sanctum et magnum habere in caelis Patrem! O quam sanctum, pulchrum et amabile (*a*) habere in caelis Sponsum! O quam sanctum et quam dilectum, beneplacitum et humile, pacificum et dulce et amabile et super omnia desiderabile (*b*) habere talem fratrem, qui *posuit animam suam pro ovibus suis* (1) et oravit Patrem pro nobis dicens (2): *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Pater, omnes, quos dedisti mihi in mundo, tui erant* (*c*), *et mihi eos dedisti. Et verba, quae dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. Rogo pro eis, non pro mundo; benedic et sanctifica eos. Et pro eis sanctifico me ipsum, ut sint sanctificati in unum sicut et nos. Et volo, Pater, ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam in regno tuo.*

Et, quia tanta sustinuit pro nobis et tot bona contulit nobis et conferet in futuro, *omnis creatura, quae est in caelo et in terra et in mari*

---

1) Ioan. 10, 15. 2) Ioan. 17, 6-24.

et in abyssis, referat Deo laudem, *gloriam et honorem et benedictionem* (1), quia ipse virtus et fortitudo nostra est, qui est *solus bonus* (2), solus altissimus, solus omnipotens et admirabilis, gloriosus et solus sanctus, laudabilis et benedictus in infinita saecula saeculorum. Amen.

Omnes autem illi, qui non sunt in poenitentia et non recipiunt corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed operantur vitia et peccata et ambulant post malam concupiscentiam et mala desideria et non observant quae promiserunt, et serviunt corporaliter mundo et carnalibus desideriis et curis et sollicitudinibus huius saeculi, mente autem serviunt diabolo (*a*) decepti ab ipso, cuius filii sunt et cuius opera faciunt, caeci sunt, quia verum lumen Dominum nostrum Iesum Christum non vident. Hi sapientiam non habent spiritualem, quia non habent Filium Dei in se, qui est vera sapientia Patris; de quibus dicitur: *Sapientia eorum devorata est* (3). Vident, agnoscunt, sciunt et faciunt mala et scienter perdunt animas suas. Videte, caeci, decepti ab inimicis vestris, scilicet a carne, a mundo et a

1) Apoc. 5, 13.
2) Luc. 18, 19.
3) Psalm. 106, 27.

diabolo, quia corpori dulce est facere peccatum et amarum servire Deo, quia omnia vitia et peccata *de corde hominis exeunt et procedunt,* sicut dicitur in Evangelio (1).

Et nihil boni habetis in hoc saeculo neque in futuro. Putatis diu possidere vanitates huius saeculi, sed decepti estis, quia veniet dies et hora, de quibus non cogitatis et nescitis et ignoratis. Infirmatur corpus, mors appropinquat, veniunt propinqui et amici dicentes: Dispone tua. Et uxor eius et filii eius, propinqui et amici fingunt flere (*a*). Et respiciens videt eos flentes et movetur malo motu et cogitando intra se dicit: Ecce, animam et corpus meum et omnia mea pono in manibus vestris. Vere, iste homo est maledictus, qui confidit et exponit animam suam et corpus et omnia sua in talibus manibus. Unde dicit Dominus per prophetam (2): *Maledictus homo, qui confidit* (*b*) *in homine.* Et statim faciunt venire sacerdotem; et dicit ei sacerdos: Vis recipere poenitentiam de omnibus peccatis tuis? Respondet: Volo. Vis satisfacere de commissis et his quae fraudasti et decepisti homines, sicut potes, de tua substantia (*c*)? Respondet:

1) Matth. 15, 19. 2) Ierem. 17, 5.

Ion. Et sacerdos ait: Quare non? Quia omnia isposui in manibus propinquorum et amicorum neorum. Et incipit perdere loquelam, et sic moriur ille miser amara morte (*a*).

Sed sciant omnes, quod, ubicumque et qualiercumque homo moriatur in criminali peccato ine satisfactione, et potest satisfacere et non atisfacit (*b*), diabolus rapit animam suam de corore suo cum tanta angustia et tribulatione, quanam nullus scire potest, nisi qui recipit. Et omnia alenta et potestas, scientia et sapientia (*c*), quam *pse putabat habere, auferuntur ab eo* (1). Et propinqui et amici tollunt substantiam eius et dividunt et dicunt postea: Maledicta sit anima eius, quia plura potuit nobis dare et acquirere, quam acquisivit. Vermes vero comedunt corpus. Et sic perdit animam et corpus in hoc brevi saeculo et vadit in inferno, ubi cruciabitur sine fine (*d*).

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Omnes, ad quos litterae istae pervenerint (*e*), ego frater Franciscus, minor servus vester, rogo et obsecro vos in *caritate*, quae *Deus est* (2), et cum voluntate osculandi pedes vestros, ut haec odorifera verba (*f*) Domini nostri Iesu Christi cum

---

1) Luc. 8, 18.

2) I. Ioan. 4, 16.

humilitate et caritate debeatis recipere et benigne operari et observare perfecte (*a*). Et qui nesciunt legere saepe legi faciant et apud se retineant cum sancta operatione usque in finem, quia *spiritus et vita sunt* (1). Et qui hoc non fecerint reddent rationem in die iudicii ante tribunal Christi. Et omnes illi et illae, qui ea benigne recipient et intelligent et mittent aliis in exemplum, si in eis *perseveraverint* (*b*) *usque in finem* (2), benedicat eis Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

---

1) Ioan. 6, 64.

2) Matth. 10, 22.



Epistola II.

Litterae, quas in fine dierum suorum capitulo generali direxit et omnibus fratribus.

In nomine summae Trinitatis et sanctae Unitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen (*a*).

Reverendis et multum diligendis fratribus universis (*b*), *generali ministro religionis minorum, domino suo, et ceteris ministris generalibus, qui post eum erunt, et omnibus ministris et custodibus et sacerdotibus fraternitatis eiusdem in Christo humilibus et omnibus fratribus simplicibus et obedientibus, primis et novissimis, frater Franciscus, homo vilis et caducus, vester parvulus servus, salutem in eo qui redemit et lavit nos in pretioso sanguine suo* (1), *cuius nomen*


1) Cfr. Apoc. 1, 5.

audientes adorate eum cum timore et reverentia proni in terram (1), *Dominus Iesus Christus, Altissimi Filius nomen illi* (2), *qui est benedictus in saecula. Amen.*

Audite, Domini filii et fratres mei, et *auribus percipite verba mea* (3). *Inclinate aurem* (4) cordis vestri et obedite voci Filii Dei. Servate in toto corde vestro mandata eius et consilia eius perfecta mente implete. *Confitemini ei, quoniam bonus* (5), et *exaltate eum in operibus vestris* (6); quoniam ideo misit vos in universo mundo, ut verbo et opere detis testimonium voci eius et faciatis scire omnes (*a*), quoniam *non est omnipotens praeter eum* (7). *In disciplina* et obedientia sancta *perseverate* (8) et quae promisistis ei bono et firmo proposito adimplete. *Tanquam filiis offert se vobis* Dominus *Deus* (9).

Deprecor itaque omnes vos, fratres, cum osculo pedum et ea caritate, qua possum, ut omnem reverentiam et omnem honorem, quantumcumque

1) Cfr. Gen. 19, 1. et alibi.
2) Cfr. Luc. 1, 32.
3) Act. 2, 14.
4) Isai. 55, 3.
5) Psalm. 135, 1.
6) Tob. 13, 6.
7) Tob. 13, 4.
8) Hebr. 12, 7.
9) Hebr. 12, 7.



poteritis, exhibeatis sanctissimo corpori et sanguini Domini nostri Iesu Christi, *in quo quae in caelis et quae in terris sunt pacificata* sunt et *reconciliata* (1) omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes fratres meos (*a*), qui sunt et erunt et esse cupiunt sacerdotes Altissimi, quatenus, cum missam celebrare voluerint, puri pure faciant cum reverentia verum sacrificium sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi sancta intentione et munda, non pro ulla terrena re neque timore vel amore alicuius hominis, *quasi placentes hominibus* (2). Sed omnis voluntas, quantum adiuvat gratia Omnipotentis, ad eum (*b*) dirigatur, soli ipsi summo Domino inde placere desiderans, quia ipse ibi solus operatur, sicut sibi placet; quoniam, sicut ipse dicit (3): *Hoc facite in meam commemorationem,* si quis aliter fecerit, Iudas traditor efficitur (*c*) et *reus fit corporis et sanguinis Domini* (4).

Recordamini, fratres mei sacerdotes, quod scriptum est de lege Moysi, quam transgredientes etiam (*d*) in corporalibus *sine ulla miseratione*

1) Col. 1, 20.
2) Eph. 6, 6; Col. 3. 22.
3) Luc. 22, 19.
4) I. Cor. 11, 27.

per sententiam Domini *moriebantur* (1). *Quanto maiora et deteriora meretur pati supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit* (2)? Despicit enim homo, polluit et conculcat Agnum Dei, quando, sicut dicit apostolus (3), *non diiudicans* et discernens sanctum panem Christi ab aliis cibariis vel operibus vel indignus manducat vel etiam, si esset dignus, vane et indigne manducat, cum Dominus per prophetam dicat (4): *Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter.* Et sacerdotes, qui nolunt hoc ponere super cor, contemnet dicens: *Maledicam benedictionibus vestris* (5).

Audite, fratres mei: Si beata Virgo Maria sic honoratur, ut dignum est, quia ipsum portavit in sanctissimo utero, si Baptista beatus contremuit et non audet tangere sanctum Dei verticem, si sepulcrum, in quo per aliquod tempus iacuit, veneratur, quantum debet esse sanctus, iustus et dignus, qui non iam moriturum, sed in

---

1) Hebr. 10, 28.
2) Hebr. 10, 29.
3) I. Cor. 11, 29.
4) Ierem. 48, 10.
5) Malach. 2, 2.

aeternum victurum et glorificatum, *in quem* (*a*) *desiderant angeli prospicere* (1), contrectat manibus, corde et ore sumit et aliis ad sumendum praebet?

Videte dignitatem vestram, fratres sacerdotes, *et estote sancti, quia ipse sanctus est* (2). Et, sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Dominus Deus, ita et vos super omnes ipsum diligite, reveremini et honorate. Magna miseria et miseranda infirmitas, quando ipsum sic praesentem habetis et vos aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et coelum exsultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus, Filius (*b*) Dei vivi. O admiranda altitudo et stupenda dignatio! O humilitas sublimis! O sublimitas humilis, quod Dominus universitatis, Deus et Dei Filius, sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! Videte, fratres, humilitatem Dei et *effundite coram illo corda vestra* (3), *humiliamini* et vos, *ut exaltemini* ab eo (4). Nihil ergo de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat qui se vobis exhibet totum.

---

1) I. Petr. 1, 12.
2) Lev. 11, 44.
3) Psalm. 61, 9.
4) I. Petr. 5, 6.

Moneo propterea (*a*) et exhortor in Domino, ut in locis, in quibus fratres morantur, una tantum missa celebretur in die secundum formam sanctae ecclesiae (1). Si vero plures in loco fuerint sacerdotes, sit per amorem caritatis alter contentus audita celebratione alterius sacerdotis; quia praesentes et absentes replet, qui eo digni sunt, Dominus Iesus Christus. Qui, licet in pluribus locis esse videatur, tamen indivisibilis manet et aliqua detrimenta non novit, sed unus ubique, sicut ei placet, operatur cum Domino Deo Patre et Spiritu sancto Paracleto in saecula saeculorum. Amen.

Et, quia *qui ex Deo est verba Dei audit* (2), debemus proinde nos, qui specialius divinis sumus officiis deputati, non solum audire et facere quae dicit Deus, verum etiam ad insinuandam in nobis altitudinem Creatoris nostri et in ipso subiectionem nostram vasa et officialia cetera custodire, quae

1) Haec verba a *Philippo Melanchthon* in *Apologia Confessionis Augustanae* (art. de Missa) absque iure contra missas privatas adhibentur, quas S. Franciscus nullo modo reprehendit. — Verba « secundum formam sanctae ecclesiae » « exponenda sunt *de ritu* romanae ecclesiae in missae celebratione observando, non referenda ad unicam missam in die celebrandam », cfr. Acta Sanctorum, oct. t. II. pag. 998. et 999.

2) Ioan. 8, 47.

continent verba sua sancta. Propterea moneo fratres meos omnes et in Christo conforto, quatenus, ubicumque invenerint divina verba scripta, sicut possunt, venerentur et, quantum ad eos spectat, si non sunt reposita bene vel inhoneste iacent in loco aliquo dispersa, colligant et reponant honorantes in sermonibus Dominum, qui locutus est. Multa enim *sanctificantur per verba Dei* (1), et in virtute verborum Christi altaris conficitur sacramentum.

Confiteor praeterea (*a*) Deo Patri et Filio et Spiritui sancto et beatae Mariae perpetuae Virgini et omnibus sanctis in caelo et in terra et generali ministro huius religionis nostrae, sicut venerabili domino meo, et omnibus sacerdotibus ordinis nostri et omnibus aliis fratribus meis benedictis omnia peccata mea. In multis offendi mea gravi culpa, specialiter quia regulam, quam Domino promisi, non servavi, nec officium, sicut regula praecipit, dixi sive negligentia sive infirmitatis meae occasione sive quia ignorans sum et idiota. Ideoque per omnia oro, sicut possum, generalem dominum meum ministrum, ut faciat regulam ab omnibus inviolabiliter observari et, quod

1) I. Tim. 4, 5.

clerici dicant officium cum devotione coram Deo non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis, ut vox concordet menti, mens vero concordet cum Deo, ut possint per puritatem mentis placere Deo (*a*) et non cum lascivitate vocis aures populi demulcere (*b*). Ego enim promitto haec firmiter custodire, sicut dederit mihi gratiam Dominus, et haec fratribus, qui mecum sunt, observanda tradam in officio et ceteris regularibus constitutis (*c*). Quicumque autem fratrum haec observare noluerint, non teneo eos catholicos nec fratres meos; nolo etiam ipsos (*d*) videre nec loqui, donec poenitentiam egerint. Hoc etiam dico de omnibus aliis, qui vagando vadunt, postposita regulae (*e*) disciplina; quoniam Dominus noster Iesus Christus dedit vitam suam, ne perderet sanctissimi Patris obedientiam (1).

Ego frater Franciscus, homo inutilis et indigna creatura Domini Dei, dico per Dominum Iesum Christum fratri Heliae ministro (*f*) totius religionis nostrae et omnibus generalibus ministris, qui post eum erunt, et ceteris custodibus et guardianis fratrum, qui sunt et erunt, ut hoc scriptum apud se habeant, operentur (*g*) et studiose repo-

1) Cfr. Phil. 2, 8.

nant. Et exoro ipsos quae scripta sunt in eo sollicite custodire ac facere diligenter observari (*a*) secundum beneplacitum omnipotentis Dei, nunc et semper, donec fuerit (*b*) mundus iste.

Benedicti vos a Domino, qui feceritis ista, et in aeternum Dominus sit vobiscum. Amen.

Omnipotens, aeterne, iuste et misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere quod scimus te velle, et semper velle quod tibi placet, ut interius mundati, interius illuminati et igne sancti Spiritus accensi sequi possimus vestigia Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, et ad te, Altissime, sola tua gratia pervenire. Qui in Trinitate perfecta et Unitate simplici vivis et regnas et gloriaris Deus omnipotens per omnia saecula saeculorum. Amen.



Epistola III.

Ad quendam Ministrum.

Fratri N. ministro (a): Dominus te benedicat.

Dico tibi, sicut possum, de facto animae tuae, quod ea quae te impediunt amare Dominum Deum, et quicumque tibi impedimentum fecerit, sive fratres sive alii, etiam si te verberarent, omnia debes habere pro gratia. Et ita velis et non aliud. Et hoc sit tibi per veram obedientiam Domini Dei (*b*) et meam, quia firmiter scio, quod illa est vera obedientia. Et dilige eos qui ista faciunt tibi, et non velis aliud de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi, et in hoc dilige eos, ut velis (*c*), quod sint meliores christiani. Et istud sit tibi plus quam eremitorium (*d*). Et in hoc volo cogno-

scere, si diligis Dominum et me servum suum et tuum, si feceris istud, scilicet (*a*) quod non sit aliquis frater in mundo, qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod, postquam viderit oculos tuos, unquam (*b*) recedat sine misericordia tua, si quaerit misericordiam; et, si non quaereret misericordiam, tu quaeras ab eo, si vult misericordiam (*c*). Et, si millies postea appareret (*d*) coram oculis tuis, dilige eum plus quam me ad hoc, ut trahas eum ad Dominum, et semper miserearis talibus. Et istud denunties guardianis, quando poteris, quod per te ita firmus es (*e*) facere.

De omnibus autem capitulis, quae sunt in regula, quae loquuntur de mortalibus peccatis (1), Domino adiuvante in capitulo Pentecostes cum consilio fratrum faciemus istud tale capitulum: Si quis fratrum instigante inimico mortaliter peccaverit, per obedientiam teneatur recurrere ad guardianum suum. Et omnes fratres, qui scirent eum peccasse, non faciant ei verecundiam nec detractionem, sed magnam misericordiam habeant circa ipsum et teneant multum pri-

1) Cfr. regulae primae cap. V. de correctione fratrum, cap. XIII. de punitione fornicatorum, cap. XX. de confessione fratrum.

vatum peccatum fratris sui; quia *non est opus sanis medicus, sed male habentibus* (1). Similiter per obedientiam teneantur eum mittere custodi suo cum socio. Ipse custos misericorditer provideat ei, sicut ipse vellet provideri sibi, si in consimili casu esset.

Et, si in aliquo (*a*) peccato veniali ceciderit, confiteatur fratri suo sacerdoti et, si non fuerit ibi sacerdos, confiteatur fratri suo, donec habebit sacerdotem, qui eum absolvat canonice, sicut dictum est (2); et isti penitus non habeant potestatem iniungendi aliam poenitentiam nisi istam: *Vade et noli amplius peccare* (3).

Hoc scriptum, ut melius debeat observari, habeas tecum usque ad Pentecosten; ibi eris cum fratribus tuis. Et ista et omnia alia, quae minus sunt in regula, Domino Deo adiuvante procurabis adimplere (*b*).

1) Matth. 9, 12.
2) In cap. XX. regulae primae; cfr. supra pag. 50.
3) Ioan. 8, 11.



Epistola IV.

Ad populorum rectores.

Universis potestatibus et consulibus, iudicibus atque rectoribus ubique terrarum et omnibus aliis, ad quos litterae istae pervenerint, frater Franciscus, vester in Domino Deo servus parvulus ac despectus, salutem et pacem omnibus vobis optans.

Considerate et videte, quoniam *dies mortis appropinquat* (1). Rogo ergo vos cum reverentia, sicut possum, ne propter curas et sollicitudines huius saeculi, quas habetis, Dominum oblivioni tradatis et a mandatis eius declinetis, quia omnes illi, *qui* eum oblivioni tradunt et a *mandatis eius declinant, maledicti* sunt (2) et ab eo *oblivioni*

1) Gen. 47, 29. 2) Psalm. 118, 21.

tradentur (1). Et, cum venerit dies mortis, omnia, *quae putabant habere, auferentur ab eis* (2). Et, quanto sapientiores et *potentiores* fuerint in hoc saeculo, tanto maiora *tormenta sustinebunt* in inferno (3).

Unde firmiter consulo vobis, dominis meis, ut omni cura et sollicitudine posthabitis et sanctissimum corpus et sanctissimum sanguinem Domini nostri Iesu Christi in eius sancta commemoratione benigne recipiatis. Et tantum honorem in populo vobis commisso Domino conferatis, ut quolibet sero annuntietur per nuntium vel per aliud signum, quo omnipotenti Domino Deo ab universo populo laudes et gratiae referantur. Et, si hoc non feceritis, sciatis vos debere coram Domino Deo vestro Iesu Christo in die iudicii reddere rationem. Hoc scriptum qui apud se retinuerint et observaverint illud a Domino Deo se noverint benedictos.

1) Ezech. 33, 13.
2) Luc. 8, 18. 3) Sap. 6, 7.



Epistola V.

Quam misit ad omnes custodes.

Universis custodibus fratrum minorum, ad quos litterae istae pervenerint, frater Franciscus, in Domino Deo vester servus et parvulus, salutem cum novis signis caeli et terrae, quae magna et excellentissima sunt apud Dominum et a multis religiosis et aliis hominibus minima reputantur.

Rogo vos plus quam de me ipso, quatenus, cum decet et videritis expedire, clericis humiliter supplicetis, quod sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi et sancta nomina et verba eius scripta, quae sanctificant corpus, super omnia debeant venerari. Calices, corporalia, ornamenta altaris et omnia, quae per-

tinent ad sacrificium, pretiosa habere debeant. Et, si in aliquo loco sanctissimum corpus Domini fuerit pauperrime collocatum, iuxta mandatum Ecclesiae in loco pretioso ab eis ponatur et consignetur et cum magna veneratione portetur et cum discretione aliis ministretur. Nomina etiam et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari.

Et in omni praedicatione, quam facitis, de poenitentia populum moneatis et quod nemo potest salvari, nisi qui recipit sanctissimum corpus et sanguinem Domini (1). Et, quando a sacerdote sacrificatur super altare et in aliqua parte portatur, omnes gentes flexis genibus reddant laudes, gloriam et honorem Domino Deo vivo et vero.

Et de laude eius ita omnibus gentibus annuntietis et praedicetis, ut omni hora et quando pulsantur campanae semper ab universo populo omnipotenti Deo laudes et gratiae referantur per totam terram.

Et, ad quoscumque fratres meos custodes pervenerit hoc scriptum et exemplaverint et apud

1) Cfr. Ioan. 6, 54.

se habuerint et pro fratribus, qui habent officium praedicationis et custodiam fratrum, fecerint exemplari et omnia, quae continentur in hoc scripto, praedicaverint usque in finem, sciant se habere benedictionem Domini Dei et meam. Et ista sint eis per veram et sanctam obedientiam. Amen.

Epistola VI.

Ad Fratrem Leonem.

F. Leo, F. Francisco tuo salutem et pacem.

Ita dico tibi, fili mi, et (*a*) sicut mater, quia omnia verba, quae diximus in via, breviter in hoc verbo dispono et consilio, et si te post (*b*) oportet propter consilium venire ad me, quia ita consilio tibi: In quocumque modo melius videtur tibi placere Domino Deo et sequi vestigia et paupertatem suam, faciatis cum benedictione Domini Dei et mea obedientia. Et, si tibi est necessarium propter animam tuam aut aliam consolationem tuam, et vis, Leo, venire ad me, veni.

Pars III.

ORATIONES



Laudes

Incipiunt (*a*) laudes, quas ordinavit beatissimus pater noster Franciscus, et dicebat ipsas ad omnes horas diei et noctis et ante officium beatae Mariae Virginis sic incipiens: *Sanctissime Pater noster, qui es in caelis* etc. cum *Gloria.* Deinde dicantur laudes *Sanctus, sanctus* etc.

Sanctissime *Pater noster* (*b*): Creator, Redemptor, Salvator et Consolator noster.

Qui es in caelis: in angelis et in sanctis, illuminans eos ad cognitionem, quia tu, Domine, lux es; inflammans ad amorem, quia tu, Domine, amor es; inhabitans et implens eos ad beatitudinem, quia tu, Domine, summum bonum es, aeternum bonum (*c*), a quo omne bonum, sine quo nullum bonum.

Sanctificetur nomen tuum: clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoscamus, quae sit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promissorum tuorum, sublimitas maiestatis et profunditas iudiciorum (1).

Adveniat regnum tuum: ut tu regnes in nobis per gratiam et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna.

Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra: ut amemus te ex toto corde te semper cogitando, ex tota anima te semper desiderando, ex tota mente omnes intentiones nostras ad te dirigendo et honorem tuum in omnibus quaerendo, et ex omnibus viribus nostris omnes vires et sensus animae et corporis in obsequium tui amoris et non in alio (*a*) expendendo; et proximos nostros amemus sicut et nosmetipsos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo et in malis compatiendo et nemini ullam offensionem dando.

Panem nostrum quotidianum: dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, *da nobis hodie:* in memoriam et intelligentiam

1) Cfr. Eph. 3, 18.

et reverentiam amoris, quem ad nos habuit, et eorum quae pro nobis dixit, fecit et sustulit.

Et dimitte nobis debita nostra: per tuam misericordiam ineffabilem, per passionis (*a*) dilecti Filii tui Domini nostri Iesu Christi virtutem et per beatissimae Mariae Virginis et omnium electorum tuorum merita et intercessionem.

Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et, quod non plene dimittimus, tu, Domine, fac nos plene dimittere, ut inimicos propter te veraciter diligamus et pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddamus et omnibus (*b*) in te prodesse studeamus.

Et ne nos inducas in tentationem: occultam vel manifestam, subitam vel importunam.

Sed libera nos a malo: praeterito, praesenti et futuro. *Amen.*

Gloria Patri etc.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est et qui erat et qui venturus est (1). Laudemus et superexaltemus eum in saecula (2).

Dignus es, Domine Deus noster, accipere

1) Apoc. 4, 8. 2) Cfr. Dan. 3, 57.

laudem, *gloriam et honorem* et benedictionem (1). Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem (2). Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedicite omnia opera Domini Domino (3). Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Laudem dicite Deo omnes servi eius et qui timetis Deum, pusilli et magni (4). Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Laudent illum gloriosum caeli et terra et *omnis creatura, quae in caelo est et super terram et quae subtus terram,* mare et *quae in eo sunt* (5). Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

---

1) Apoc. 4, 11.
2) Apoc. 5, 12.
3) Dan. 3, 57.
4) Apoc. 19, 5.
5) Apoc. 5, 13.

Oratio.

Omnipotens, sanctissime, altissime et summe Deus, summum bonum, omne bonum, totum bonum, qui solus es bonus, tibi reddamus omnem laudem, omnem gloriam, omnem gratiam, omnem honorem, omnem benedictionem, et omnia bona tibi referamus semper. Amen.


Salutatio Beatae Virginis

Ave domina sancta, regina sanctissima, Dei genitrix Maria, quae es Virgo perpetua, electa a sanctissimo Patre de caelo, quam consecravit cum sanctissimo dilecto Filio et Spiritu Paracleto, in qua fuit et est omnis plenitudo gratiae et omne bonum. Ave palatium eius. Ave tabernaculum eius. Ave domus eius. Ave vestimentum eius. Ave ancilla eius. Ave mater eius (*a*), et vos omnes sanctae virtutes, quae per gratiam et illuminationem sancti Spiritus infundimini in corda fidelium, ut de infidelibus fideles Deo faciatis (*b*).



Chartula

QUAM DEDIT FRATRI LEONI (1)



Laudes Dei.

Tu es sanctus Dominus Deus solus, qui facis mirabilia. Tu es fortis. Tu es magnus. Tu es altissimus. Tu es rex omnipotens, tu Pater sancte, Rex caeli et terrae. Tu es trinus et unus Dominus Deus, omne bonum. Tu es bonum, omne bonum, summum bonum, Dominus Deus, vivus et verus. Tu es caritas, amor (*a*). Tu es sapientia. Tu es humilitas. Tu es patientia. Tu es securitas. Tu es quietas. Tu es gaudium et laeti-

---

1) Cfr. II. Cel. 2, 18.

tia. Tu es iustitia et temperantia. Tu es omnia divitia ad sufficientiam (*a*). Tu es pulchritudo. Tu es mansuetudo. Tu es protector. Tu es custos et defensor. Tu es fortitudo. Tu es refrigerium. Tu es spes nostra. Tu es fides nostra. Tu es magna dulcedo nostra. Tu es vita aeterna nostra, magnus et admirabilis Dominus, Deus omnipotens, misericors Salvator.

Benedictio fr. Leonis.

Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat faciem suam tibi et misereatur tui. Convertat vultum suum ad te et det tibi pacem (1). Dominus benedicat, f. Leo, te.

Oratio.

Absorbeat quaeso, Domine, mentem meam ab omnibus, quae sub caelo sunt, ignita et melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

1) Numer. 6, 24.-26.



Officium

PASSIONIS DOMINI



Incipiunt psalmi, quos ordinavit beatissimus pater noster Franciscus ad reverentiam et memoriam et laudem passionis Domini. Et incipiunt a completorio feriae quintae Coenae dominicae (*a*), eo quod in illa nocte traditus fuit et captus Dominus noster Iesus Christus. Et nota, quod sic dicebat istud officium beatus Franciscus: Primo dicebat orationem, quam nos docuit Dominus et Magister: *Sanctissime pater noster* etc., cum laudibus, sc. *Sanctus, sanctus, sanctus*. Finitis laudibus cum oratione incipiebat hanc antiphonam, sc. *Sancta Maria*. Psalmos dicebat primo de sancta Maria; praeterea dicebat alios psalmos, quos elegerat, et in fine omnium psalmorum, quos dicebat, dicebat psalmos passionis. Finito psalmo, dicebat hanc antiphonam, sc. *Sancta Maria Virgo*. Finita antiphona, expletum erat officium.

I.

Ad Completorium.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: consilium fecerunt in unum.

Et posuerunt adversum me mala pro bonis: et odium pro dilectione mea.

Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

Mi Pater sancte, Rex caeli et terrae, ne discesseris a me: quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adiuvet.

Convertentur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero te: ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt: et proximi mei de longe steterunt.

Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi: traditus sum et non egrediebar.

Pater sancte, ne elongaveris auxilium tuum a me: Deus meus, ad auxilium meum respice.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meae.

Gloria.

Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, filia et ancilla altissimi Regis Patris caelestis, mater sanctissimi Domini nostri Iesu Christi, sponsa Spiritus sancti; ora pro nobis cum S. Michaele archangelo et omnibus virtutibus caelorum et omnibus sanctis apud tuum sanctissimum dilectum Filium, Dominum nostrum et Magistrum.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Nota, quod haec antiphona supradicta dicitur ad omnes horas; et dicitur pro antiphona, capitulo, hymno, versiculo et oratione; et ad matutinum et ad omnes horas similiter. Nihil aliud in ipsis dicebat nisi hanc antiphonam cum suis psalmis.

Ad absolutionem officii semper dicebat beatus Franciscus: *Benedicamus Domino Deo vivo et vero: laudem, gloriam, honorem, benedictionem et omnia bona referamus ei semper. Amen. Amen. Fiat. Fiat.*

Ad Matutinum.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Domine Deus salutis meae: in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

Intende animae meae et libera eam: propter inimicos meos eripe me.

Quoniam tu es, qui abstraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meae: in te proiectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: ne discesseris a me.

Tu scis improperium meum et confusionem meam: et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: improperium exspectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

Tu es sanctissimus Pater meus: Rex meus et Deus meus.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meae.

Ad Primam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.

Clamabo ad sanctissimum Patrem meum altissimum: Deum, qui benefecit mihi.

Misit de caelo et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus manum suam et veritatem suam, animam meam eripuit de inimicis meis fortissimis et ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: et inciderunt in eam.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam.

Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara: exsurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine; et psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad caelos misericordia tua: et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super caelos, Deus: et super omnem terram gloria tua.

Ad Tertiam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.

Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum constituerunt adversum me.

Qui custodiebant animam meam: consilium fecerunt in unum.

Egrediebantur foras: et loquebantur in idipsum.

Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput.

Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abiectio plebis.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde: et timor notis meis.

Pater sancte, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meae.

Ad Sextam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu eius orationem meam: et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum: et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam: absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram et videbam: et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me: et non est qui requirat animam meam.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis: et peregrinus filiis matris meae.

Pater sancte, zelus domus tuae comedit me: et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et adversum me laetati sunt et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei: qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quae non rapui tunc exsolvebam.

Surgentes testes iniqui: quae ignorabam interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro nobis et detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Tu es sanctissimus Pater meus: Rex meus et Deus meus.

Intende in adiutorium meum: Domine, Deus salutis meae.

Ad Nonam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

O vos omnes, qui transitis per viam: attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Quoniam circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.

Foderunt manus meas et pedes meos: et dinumeraverunt omnia ossa mea.

Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea.

Et factum est cor meum tanquam cera liquescens: in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea: et lingua mea adhaesit faucibus meis.

Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto.

Et in pulverem mortis deduxerunt me: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Ego dormivi et resurrexi: et Pater meus sanctissimus cum gloria suscepit me.

Pater sancte, tenuisti manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me et cum gloria assumpsisti me.

Quid enim mihi est in caelo: et a te quid volui super terram?

Videte, videte, quoniam ego sum Deus, dicit Dominus: exaltabor in gentibus et exaltabor in terra.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui redemit animas servorum suorum de proprio sanctissimo sanguine suo: et non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Et scimus, quoniam venit: quoniam veniet iustitiam iudicare.

Ad Vesperam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Omnes gentes, plaudite manibus: iubilate Deo in voce exsultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

Quia sanctissimus Pater de caelo, Rex noster, ante saecula misit dilectum Filium suum de alto: et operatus est salutem in medio terrae.

Laetentur caeli et exsultet terra, commoveatur mare et plenitudo eius: gaudebunt campi et omnia, quae in eis sunt.

Cantate ei canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite corpora vestra et baiulate sanctam crucem eius: et sequimini usque in finem sanctissima praecepta eius.

Commoveatur a facie eius universa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Usque huc dicitur a feria sexta Parasceve usque ad festum Ascensionis quotidie. In festo vero Ascensionis superadduntur isti versiculi:

Et ascendit ad caelos: et sedet ad dexteram sanctissimi Patris in caelis.

Exaltare super caelos Deus: et super omnem terram gloria tua.

Et scimus quoniam venit: quoniam veniet iustitiam iudicare.

Et nota, quod ab Ascensione usque ad Adventum Domini dicitur eodem modo quotidie iste psalmus, sc. *Omnes gentes,* cum supradictis versiculis dicendo ibi *Gloria Patri,* ubi finitur psalmus, sc. *Quoniam veniet iustitiam iudicare.*

Nota, quod hi psalmi supradicti dicuntur a feria sexta Parasceve usque ad dominicam Resurrectionis; eodem modo dicuntur ab octava Pentecostes usque ad Adventum Domini et ab octava Epiphaniae usque ad Coenam Domini (*a*) exceptis dominicis diebus et festis principalibus, in quibus non dicuntur; aliis vero diebus quotidie dicuntur.

II.

In Sabbato sancto ad Completorium.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Deus in adiutorium *ut in psalterio.*

Dicitur quotidie ad completorium usque ad octavam Pentecostes.

Ad Matutinum dominicae Resurrectionis.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

Sanctificavit filium suum dextera eius: et brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit iustitiam suam.

In illa die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum eius.

Haec est dies, quam fecit Dominus: exsultemus et laetemur in ea.

Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, et illuxit nobis.

Laetentur caeli, et exsultet terra; commoveatur mare et plenitudo eius: gaudebunt campi et omnia, quae in eis sunt.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Usque huc dicitur a dominica Resurrectionis usque ad festum Ascensionis quotidie ad omnes ho-

ras praeter ad vesperam et ad completorium et primam. Nocte vero Ascensionis superadduntur isti versiculi:

Regna terrae, cantate Deo, psallite Domino: psallite Deo, qui ascendit super caelum caeli ad orientem.

Ecce dabit voci suae vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel; magnificentia eius et virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.

Et nota, quod iste psalmus ab Ascensione Domini usque ad octavam Pentecostes dicitur quotidie cum supradictis versiculis ad matutinum et tertiam et sextam et nonam, dicendo ibi *Gloria Patri,* ubi dicitur *Benedictus Deus,* et non alibi. Item nota, quod eodem modo dicitur solummodo ad matutinum in dominicis diebus et principalibus festis ab octava Pentecostes usque ad feriam V. Coenae Domini, quia in ipsa die cum discipulis suis Dominus pascha manducavit, vel alius psalmus potest dici ad matutinum vel ad vesperam, quando vult, sc. *Exaltabo te Domine* etc., sicut in psalterio habetur, et hoc a dominica Resurrectionis usque ad festum Ascensionis, et non plus.

Ad Primam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Miserere mei, Deus, miserere mei *ut supra pag. 130.*

Ad Tertiam, Sextam et Nonam.

Psalmus. Cantate *ut supra pag. 138.*

Ad Vesperam.

Psalmus. Omnes gentes *ut supra pag. 135.*

III.

Incipiunt alii psalmi, quos similiter ordinavit beatissimus P. N. Fr., qui dicendi sunt loco psalmorum supradictorum passionis Domini in dominicis diebus et principalibus festivitatibus ab octava Pentecostes usque ad Adventum et ab octava Epiphaniae usque ad feriam V. Coenae Domini.

Ad Completorium.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Deus in adiutorium, *sicut habetur in psalterio.*

Ad Matutinum.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Cantate *ut supra pag. 138.*

Ad Primam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Miserere mei, Deus, miserere mei *ut supra pag. 130.*

Ad Tertiam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine: in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.

Venite, audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum: quanta fecit animae meae.

Ad ipsum ore meo clamavi: et exaltavi sub lingua mea.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu eius.

Benedicite gentes Dominum nostrum: et auditam facite vocem laudis eius.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae: omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel: qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum: et replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat.

Ad Sextam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo: et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam misit Dominus Iesum Christum Filium suum, et iudicabit populos in iustitia.

Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione: et sperent in te qui noverunt nomen tuum.

Benedictus Dominus Deus meus: quia factus est susceptor meus et refugium meum in die tribulationis meae.

Adiutor meus, tibi psallam: quia Deus susceptor meus, Deus meus, misericordia mea.

Ad Nonam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum: in iustitia tua libera me et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam: et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum: ut salvum me facias.

Quoniam tu es patientia mea, Domine: Domine, spes mea a iuventute mea.

In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus: in te cantatio mea semper.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Benedictus Dominus Deus meus, quia factus est susceptor meus: et refugium meum in die tribulationis meae.

Adiutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus: Deus meus, misericordia mea.

Ad Vesperam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Omnes gentes *ut supra pag. 135.*

IV.

Incipiunt alii psalmi, quos similiter ordinavit beatissimus pater noster Franciscus, qui dicendi sunt loco psalmorum supradictorum passionis Domini ab Adventu Domini usque ad vigiliam Nativitatis et non plus.

Ad Completorium.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Usquequo *sicut habetur in psalterio.*

Ad Matutinum.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Confitebor tibi, Domine, sanctissime Pater, Rex caeli et terrae: quoniam consolatus es me.

Tu es Deus Salvator meus: fiducialiter agam et non timebo.

Fortitudo mea et laus mea Dominus: et factus est mihi in salutem.

Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine; dextera tua, Domine, percussit inimicum: et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios meos.

Videant pauperes et laetentur: quaerite Deum, et vivet anima vestra.

Laudent illum caeli et terra: mare et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion: et aedificabuntur civitates Iudae.

Et inhabitabunt ibi: et hereditate acquirent eam.

Et semen servorum eius possidebit eam: et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

Ad Primam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Miserere mei, Deus, miserere mei *ut supra pag. 130.*

Ad Tertiam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Iubilate Deo *ut supra pag. 141.*

Ad Sextam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Exaudiat te *ut supra pag. 142.*

Ad Nonam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. In te, Domine, speravi *ut supra pag. 143-*

Ad Vesperam.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus. Omnes gentes *ut supra pag. 135.*

Nota etiam, quod non dicitur totus psalmus, sed usque ad versum *Commoveatur a facie eius universa terra;* sane intelligas, ut dicatur totus versus *Tollite corpora vestra.* Finito isto verso dicitur ibi *Gloria Patri.* Et sic dicitur ad vesperam quotidie ab Adventu usque ad vigiliam Nativitatis.

V.

Ad Vesperam in Nativitate Domini.

Ant. Sancta Maria.

Psalmus.

Exsultate Deo adiutori nostro: iubilate Domino Deo vivo et vero in voce exsultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

Quia sanctissimus Pater de caelo, Rex noster, ante saecula misit dilectum Filium suum de alto: et natus fuit de beata Virgine sancta Maria.

Ipse invocabit me: Pater meus es tu: et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae.

In illa die mandavit Dominus Deus misericordiam suam: et nocte canticum eius.

Haec est dies, quam fecit Dominus: exsultemus et laetemur in ea.

Quia sanctissimus puer dilectus datus est nobis et natus fuit pro nobis in via et positus in praesepio: quia non habebat locum in diversorio.

Gloria in altissimis Domino Deo: et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Laetentur caeli et exsultet terra, commoveatur mare et plenitudo eius: gaudebunt campi et omnia, quae in eis sunt.


Cantate ei canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite corpora vestra et baiulate sanctam crucem eius: et sequimini usque in finem sanctissima praecepta eius.

Nota, quod iste psalmus dicitur a Nativitate Domini usque ad octavam Epiphaniae ad omnes horas.



APPARATUS CRITICUS

Ad partem primam.

I. Admonitiones.

1. De eorum authentia. Admonitiones S. Francisci adeo spiritum huius sancti redolent aliisque ipsius opusculis genuinis conveniunt, ut et ipsae ab omnibus genuinae recognoscantur (1). Cui accedit consensus codicum, qui illas unanimiter sancto Francisco attribuunt.

De tempore, quo ipsae ortae sunt, nihil legendae nobis indicant, neque indicare possumus, quis admonitiones collegerit. Notamus in codice

(1) Cfr. Goetz, Quellen zur Geschichte des hl. Franz von Assisi, in Zeitschrift für Kirchengeschichte, t. XXII. pag. 551.

saeculi XIII. illas iam eodem ordine et numero exstare, quem omnes fere codices sequentes exhibent (1).

2. Codices, in quibus admonitiones invenimus, sunt:

1. *Assisii,* biblioth. civitatis, cod. 338. saec. XIV., fol. 18.

2. *Berolini,* biblioth. regia, cod. lat. 196. saec. XIV., fol. 101.

3. *Florentiae,* biblioth. Laurentiana, cod. X. Plut. XIX. dextr. saec. XIII., fol. 448. — 4. *Ibid.,* biblioth. conv. Ognissanti, cod. saec. XIV., fol. 5.

5. *S. Floriani,* biblioth. monast., cod. XI. 148. saec. XIV., fol. 38.

6. *Fulginei,* biblioth. conv. Capuc., cod. saec. XV., fol. 21.

7. *Leodii,* biblioth. civit., cod. 343. saec. XV., fol. 154.

8. *Leopoli,* biblioth. univers., cod. 131. saec. XV., fol. 331.

---

(1) Codex collegii S. Antonii de Urbe (de quo cfr. Lemmens, Documenta Antiqua Franciscana, p. III. pag. 72.) omittit 2 numeros (11. et 22.); praetermittere nolumus, quod isti duo numeri habentur in fine Speculi perfectionis sec. redactionem priorem; cfr. Documenta Ant. Franc. p. II. pag. 84.

9. *Lignitii,* biblioth. eccl. SS. Petri et Pauli, cod. 12. saec. XV., fol. 131.

10. *Monachii,* biblioth. regia, cod. lat. 11354. saec. XV., fol. 25. (num. 1. solus).

11. *Neapoli,* biblioth. nation., cod. XII. F. 32. saec. XV., fol. antepaenultimo (num. 6.-27.).

12. *Oxonii,* biblioth. Bodlei., cod. Canon. miscell. 525. saec. XIV., fol. 93.

13. *Parisiis,* biblioth. nation., cod. 18327. saec. XV., fol. 154. — 14. *Ibid.,* biblioth. Mazarin., cod. 1743. saec. XV., fol. 134. — 15. *Ibid.*, biblioth. Mazarin., cod. 989. saec. XV., fol. 191. — 16. *Ibid.,* biblioth. facult. theol. protestant., cod. saec. XV., fol. 86.

17. *Pragae,* biblioth. cap. metropol., cod. B. XC. saec. XV., fol. 244.

18. *Romae,* biblioth. coll. S. Antonii, cod. saec. XIV., fol. 77. — 19. *Ibid.,* archiv. coll. S. Isidori, cod. 1/25. saec. XIV., fol. 14. — 20. *Ibid.,* archiv. coll. S. Isidori, cod. 1/73. saec. XIV., fol. 11. — 21. *Ibid.,* biblioth. Vaticana, cod. 4354. saec. XIV., fol. 39. — 22. *Ibid.,* cod. 7650. saec. XV., fol. 10.

23. *Toleti,* biblioth. capituli, cod. Caj. 25. num. 11. saec. XIV., fol. 65.

24. *Volaterrae,* biblioth. Guarnacci, cod. 225. saec. XIV., fol. 141.

3. Pro hac editione paranda imprimis adhibuimus cod. bibl. Laurentianae et cod. Assisien-

sem (1), qui duo satis bene inter se conveniunt. Contulimus codicem collegii S. Antonii de Urbe, codicem 1/25. coll. S. Isidori de Urbe, necnon codicem conventus Ognissanti Florentini. Tituli operis et singularum paragraphorum a diversis codicibus diverso modo dantur; secuti sumus codicem Laurentianum.

Cod. Laurentianus signatur L.
Cod. Assisiensis signatur As.
Cod. conventus Ognissanti signatur O.
Cod. collegii S. Antonii signatur An.
Cod. collegii S. Isidori signatur Is.

Praeterea adhibuimus editiones, quae habentur in *Monumenta ordinis minorum* (Salmant. 1511) tract. II. fol. 276 r., *Firmamenta trium ordinum B. Francisci* (Parisiis 1512) p. I. fol. 19 r. (2), et apud *Bartholomaeum Pisanum*, qui in libro Conformitatum vitae B. Francisci ad vitam D. N. Iesu Christi, fructu XII. p. II. maiorem partem opusculi inseruit (citantur Mon, Firm, Pis).

---

(1) Num. 1. ex hoc codice edidit *Faloci* in Miscellanea Francescana, t. VI. pag. 96.

2) Ibid. fol. 21 v. repetuntur num. 20., 21., 23., quod Waddingus imitatus est.

Ad Pag. 4.

(*a*) Ita O, Is, Pis; L, As et edd. omittunt *quia spiritus est Deus;* An *ideo quia nisi.*

(*b*) Ita As; An *similiter et modo;* O *quia omnes.* O et Is paulo ante parum transponunt.

Ad Pag. 5.

(*a*) An *Unde sumens Dominum;* Pis et Wad *qui habet spiritum Domini.*

(*b*) O *et non.*

(*c*) As om. *apparuit.*

(*d*) L. *intuitu oculis.*

Ad Pag. 6.

(*a*) Ita O et Pis, alii *quia.*

(*b*) O, Is et edd. addunt *et mali.*

Ad Pag. 7.

(*a*) O et Is omittunt *in manibus;* L, As, An om. *et animam suam.* O et Is pergunt: *Quia cum facit voluntatem eius, dummodo bene facit, vera obedientia est.*

(*b*) As *sua voluntarie;* O omittit *Deo.*

(*c*) Ita O et Is; An *Nam haec caritas obedientia est.*

(*d*) An *Nam prius sustineat.*

(*e*) O *quidam.*

(*f*) An *quibus sua meliora videntur.. tales retro.*

Ad Pag. 8.

(*a*) Ita L, As, An; O *quam de oblato eis officio abluendi pedes.*

(*b*) O et Is omittit *secundum se.*

Ad Pag. 9.

(*a*) L omittit *scivit;* O et Pis om. *quia unus.*

(*b*) Ita O, Is et Pis; alii om. *homo.*

(*c*) Ita L, As, An; O, Is et Pis *in baiulando;* An addit *in corpore et in mente.*

Ad Pag. 10.

(*a*) An addit *Sed eos imitari nolumus.*

(*b*) As (et edd.) *dantes.*

(*c*) An addit *quam operari;* O *et praedicare.*

(*d*) O *sibi;* As paulo post *reddunt ea.*

Ad Pag. 11.

(*a*) An om. *uritur — Dei*; O *de periculo.*

(*b*) An addit *humanae generationis.*

Ad Pag. 12.

(*a*) 11. deest in An; cfr. Documenta Antiqua Franciscana, p. II. pag. 84.

(*b*) O om. *nisi ex caritate* ac *et irasceretur;* As *non ex.*

(*c*) Ita Documenta l. c.; alii *sine proprio.*

(*d*) An *scire.*

(*e*) O et Is *si caro eius inde se exaltat, non habet de spiritu Dei. Si autem ante..., tunc vere habet spiritum Dei.* — An addit *Et si hoc non facit, spiritum Dei non habet.*

Ad Pag. 13.

(*a*) O addit *secundum voluntatem vel necessitatem suam.* An paulo post *satisfacere in omnibus bonis.*

(*b*) Ita L et As; An et O *scandalizantur statim et conturbantur.*

Ad Pag. 14.

(*a*) Ita As et An; alii *quam vult* vel *quam velit.*

(*b*) Ita As et An.; O *in quo.* O omittit *si in consimili casu esset.*

Ad Pag. 15.

(*a*) O *positus est, esse sub.*

Ad Pag. 16.

(*a*) O *provocat;* cfr. Speculum perfectionis (ed. Sabatier) pag. 189.

(*b*) Ita L et As; alii *delectatur.*

(*c*) 22. deest in An; cf. Documenta l. c. pag. 84.

(*d*) As *qui quando loquitur sub spe mercedis omnia.*

(*e*) As *ipse recipit.*

(*f*) O *qui, cum reprehenditur et accusatur, illam reprehensionem et accusationem;* As (et edd.) *ab aliquo;* O *ab aliis.*

Ad Pag. 17.

(*a*) O 23. et 24. haud dividit.

(*b*) As *servus;* An *praelatus.*

(*c*) An *se punire,* O *puniri;*

(*d*) As, O (et edd.) *servus.*

(*e*) Ita L; As (et edd.) *quando est infirmus, quod non potest ei satisfacere, quantum quando est sanus;* An *infirmum non valentem sibi retribuere;* O om. sententiam.

(*f*) O *servus.* Post *diligit fratrem.*

Ad Pag. 18.

(*a*) O *quanto maior... tanto magis de peccato.*

(*b*) O om. hanc sententiam.

(*c*) O et Pis *deceptio.*

Ad Pag. 19.

(*a*) An *conservat.* O paulo ante *quibuscumque voluerit.*

II. Salutatio virtutum.

Huius opusculi authentiam testatur fr. Thomas de Celano in sua legenda secunda (1). Invenitur in codicibus, quos sub 1, 2, 4, 6, 9, 11, 12, 14, 15, 16, 19, 21, 22 nominavimus, in cod. B. 132. archivi regii *Dusseldorpiensis* et apud Pisanum l. c. fructu XII. p. II. cap. 38. (2), cuius lectiones pluries conveniunt codici O.

Editum est in *Speculum vitae B. Francisci et sociorum eius* (ed. Venetiis 1504 et Metis 1509) fol. 126 v. et ex cod. Assisiensi a Waddingo. Pro nostra editione paranda adhibuimus As, O et Pis.

Ad Pag. 20.

Codex As titulum habet: *De virtutibus, quibus decorata fuit sancta Virgo et debet esse sancta anima.*

(*a*) As et Wad om. *Ave;* O *sorore tua pura simplicitate.*

(*b*) O et Pis *qui unam habet, omnes habet et alias non offendit.*

Ad Pag. 21.

(*a*) O *intentiones;* Pis paulo ante habet *Sancta paupertas confundit superbiam,* omissis iis quae intra haec

1) Cfr. supra pag. 20. not. 1.

2) Praemittit num. 27. Admonitionum et incipit a *nullus homo est penitus.*

verba apud alios leguntur, et pro *omnes homines* habet *omnes honores*.

(*b*) O et Pis *omnes carnales et proprias voluntates et carnales amores.*

(*c*) Ita O et Pis, qui addit *et suppositum;* As et Wad *et est subditus et suppositus omnibus hominibus, qui sunt in mundo.*

III. De reverentia corporis Domini.

Pro hoc opusculo eadem argumenta interna et externa habentur, quae Admonitiones esse genuinas evincunt. Invenimus ipsum in codicibus 1, 9, 14, 15, 16, 18, 20, et in cod. B. 132. archivi regii *Dusseldorpiensis.*

Waddingus opusculum inter epistolas (n. XIII.) exhibet, at codices hanc opusculi formam haud habent.

Editio nostra adhibuit codices As (1), An et Is.

AD PAG. 22.

(*a*) As *ministeria.*

AD PAG. 23.

(*a*) As om. *Iesu Christi* et *per viam.*

(*b*) As haec ultima transponit.

---

1) Ex codice Assisiensi opusculum edidit Faloci l. c. pag. 95.

IV. Ad regulas fratrum minorum.

1. Teste D. Bonaventura aliisque S. Franciscus bis regulam fratrum minorum conscripsit. Initio suae religionis « cernens famulus Christi paulatim accrescere numerum fratrum scripsit sibi et fratribus suis simplicibus verbis formulam vitae » (Legenda, c. 3. n. 8.), quam Innocentius III. approbavit. « Dilatato iam ordine volens regulam ex verborum Evangelii aggregatione profusius traditam *ad compendiosiorem formam redigere*,.. conscribi eam fecit,.. quam per incuriam perditam... instar prioris illico reparavit et per papam Honorium obtinuit confirmari » (ib. c. 4. n. 11.).

2. *Müller* et *Sabatier* tertiam addunt regulam eamque 1221. compositam esse dicunt (1). At inepte loquuntur; regula, quam anno 1221. ortam esse volunt, non est nova sed illa, quam Innocentius III. approbavit, non quidem in forma sua primaria, quae iam deest, sed in illa forma,

1) Müller, Anfänge des Minoritenordens und der Bussbruderschaften, Freiburg 1885, pag. 4. seqq.; Sabatier, Vie de S. François d' Assise, Paris, pag. 288. seqq.

quam decurrentibus 14 annis pluribus additis et mutatis induit. Auctores antiqui — ex. gr. fr. *Hugo de Digna* et fr. *Angelus Clarenus* — in suis expositionibus regulae illam, de qua agimus, uti regulam primam et *originalem* ubique exhibent (1). Nec aliquid testimonia saeculi XIII. de tertia quadam regula referunt; loquuntur tantum de mutationibus et additis, quas regula prima decursu temporis subiit (2).

Sic teste *Iordano* S. Franciscus « fratri Caesario commisit, ut regulam, quam ipse simplici-

1) Expositio fr. Hugonis de Digna habetur in Monumenta O. M., tract. II. fol. 46 v. et in Firmamenta, p. IV. fol. 34 v.; expositio fr. Angeli Clareni habetur in cod. 1/92. archivi S. Isidori de Urbe, cod. Ottob. 522. (pars) et Ottob. 666. biblioth. Vaticanae, et cod. 23648. biblioth. R. Monacensis. Prior ad cap. 6. (Mon. fol. 67 v.; Firm. fol. 48 r.) ex. gr. dicit: « Hoc ipse diffusius in *originali regula* sic ponebat: Cum necesse fuerit, vadant fratres pro eleemosyna » etc., ut supra pag. 37.; alter inter alia (cod. Ottob. 666. fol. 50 v.) dicit: « In regula, quam sibi papa Innocentius concessit et approbavit,.. ita erat scriptum: Dominus praecipit in evangelio » etc., ut supra pag. 35.

2) « Legenda trium sociorum » num. 35. dicit: « Plures regulas fecit et eas expertus est, priusquam faceret illam, quam ultimo reliquit fratribus »; quae verba aut de diversis eiusdem regulae redactionibus explicantur aut novam faciunt difficultatem contra istius legendae authentiam.

bus verbis conceperat, verbis Evangelii adornaret »; idem Iordanus refert, quod « secundum primam regulam fratres feria quarta et sexta ieiunabant (1) ». *Iacobus Vitriacensis* anno 1217. scribit de fratribus, quod « semel in anno conveniunt... et consilio bonorum virorum suas faciunt et promulgant institutiones sanctas et a domino papa confirmatas (2) », ex quibus unam nobis notavit Celanensis in legenda secunda (3) referens, quod S. Franciscus « pro generali commonitione in quodam capitulo scribi fecit haec verba: Caveant fratres, ne se ostendant extrinsecus nubilosos et hypocritas tristes, sed ostendant se gaudentes in Domino, hilares et iucundos et convenienter gratiosos »; quae verba inserta habentur in cap. VII. regulae primae. Honorius III. die 20. sept. 1220. dedit decretum, ne fratres post factam professionem ordinem relinquerent neve « extra obedientiam » evagarentur, quod ad cap. II. regulae addiderunt.

Quo modo per aliquot annos regula prima

---

1) Analecta Franciscana, t. I. pag. 6. num. 15. et pag. 4. num. 11.

2) Cfr. Speculum perfectionis (ed. Sabatier), Appendix, pag. 300.

3) P. 3. cap. 90.

pluries est mutata ac aucta. Unde et optime intelligimus, cur textus illius aliquando haud conveniant; mutationes enim et additamenta non eodem modo ad omnes pervenerunt. In cap. X. ex. gr. *de infirmis fratribus* duplicem habemus lectionem: eam quam praebet pars maior codicum et editio nostra, et aliam, quam posuit Celanensis in legenda secunda et pariter adhibuit frater Hugo de Digna in cap. VI. expositionis regulae (1). Similiter ad cap. XII. *de frequentia mulierum vitanda* res se habet, ubi ad formam communem Angelus Clarenus et Speculum vitae S. Francisci addunt verba: Nullus cum eis « per viam vadat solus aut ad mensam in una paropside comedat (2) ».

3. Multo magis errat Sabatier, quando agit de relatione regulae secundae ad regulam primam. Secundum ipsum utraque toto caelo distat, ipsisque « solum nomen est commune », et sola regula prima « est vere franciscana (3) ». Quod

1) Cfr. II. Cel. 3, 110; Mon. fol. 68 v.; Firm. fol. 49 r.

2) Cfr. cod. Ottob. 666. fol. 99 v.; Speculum fol. 193 v.

3) Vie de S. François, pag. 289: « Celle de 1210 et celle qui fut approuvée par le pape le 29 novembre 1223, n'avaient guère de commun que le nom ».. « Celle de 1210 seule est vraiment franciscaine. Celle de 1223 est indirectement l'œuvre de l'Église ».

placitis et praeiudiciis suis congruit, at non veritati. Si differunt regula prima et secunda, differunt eo, quod secunda est brevior et melius ordinata et magis praecisa, at essentia et substantia est omnino et plane eadem, et ipsa verba regulae secundae in regula prima magna ex parte iam habentur, quod quilibet statim videbit, qui utramque absque praeiudiciis comparaverit. Unde et saepius utramque regulam uti *unam* considerarunt. Ipse papa Honorius III. in bulla confirmationis dicit se confirmare « *regulam a* bonae memoriae *Innocentio papa approbatam* ». Frater Elias in epistola ad fratres « iuxta Valencianas » degentes transmissa ipsos exhortatur, ut « sanctam regulam nostram per dominum Innocentium approbatam et per dominum Honorium confirmatam pure et inviolabiliter et indefesse observent (1) ». Frater Hugo de Digna, « spiritualis homo ultra modum », relationem inter utramque regulam bene indicat dicens: « *De regula per* dominum *Innocentium approbata* postmodum,

1) Epistola haec data « anno pontificatus domini Honorii papae decimo » habetur in Annalibus Hannoniae fr. *Iacobi de Guisia,* lib. XXI. cap. XVII. (cfr. Monumenta Germaniae historica, Scriptores, t. XXX. p. I. pag. 294.).

antequam per dominum Honorium papam bullaretur, *nonnulla sunt brevitatis studio omissa* (1) ».

Admitti etiam nequit, quod Sabatier alio loco dicit: « Spirituales saeculi XIV. ineuntis non somniati sunt adhibere regulam primam (2) »; ad quod refutandum iam sufficit, ut ipsum ducem spiritualium, fr. Angelum Clarenum, nominemus, qui persaepe in sua expositione regulae regulam primam allegat. Illa oppositio, quam cl. auctor suis placitis obstrictus inter utramque regulam statuere vult, non existit, et caput XV. suae Vitae S. Francisci haud convenit historiae.

4. Ad editionem regulae *primae* faciendam adhibuimus codices An, O et Is, necnon editiones, quas Speculum, Monumenta et Firmamenta praebent. Pluries adivimus expositiones dictas fr. Hugonis et fr. Clareni ac opus Pisani, qui partes regulae primae inseruerunt (3).

---

1) Mon. fol. 46 v; Firm. fol. 34 v. — Cfr. *Ehrle*, Controversen über die Anfänge des Minoritenordens, in Zeitschrift für katholische Theologie, t. XI. pag. 725. seqq.

2) Speculum, pag. LX: « A partir de Bonaventure, la règle primitive tombe dans l'oubli. Les Franciscains spirituels du commencement du XIV. siècle ne songèrent pas à l'en tirer ».

(3) O, Is et Pis pluries inter se conveniunt.

Regulam *secundam* ex bulla originali et regesto archivi Vaticani damus.

AD PAG. 24.

(*a*) Edd. *promittit;* Mon, Firm et Wad om. *Et alii fratres — successoribus.*

AD PAG. 26.

(*a*) O et Is *alii fratres.*

AD PAG. 28.

(*a*) Wad om. *pro matutino — pro tertia* (exclusive).

AD PAG. 30.

(*a*) O *confessione.* Pergit *Deoque;* Spec. *itaque.*
(*b*) Mon et Wad *servis fratrum minorum.*

AD PAG. 33.

(*a*) Edd. *cellarii.*
(*b*) O falso *Nam ait propheta: qui non vult.*
(*c*) Mon et Wad *alii pauperes.*

AD PAG. 34.

(*a*) O *tristes et nubiles hypocritas.*

AD PAG. 35.

(*a*) O et Pis om. *denarios.*

AD PAG. 36.

(*a*) Ita O, Is et Pis; Clar. et Spec. *pecuniae eleemosynam;* An, Mon et Wad *vel eleemosynam.*

AD PAG. 37.

(*a*) Mon et Wad *faciunt.* O paulo post *fecerint.*

Ad Pag. 39.

(*a*) An et O *infirmitate.*

(*b*) Cfr. II. Cel. 3, 110. et Hugo l. c. fol. 68 v. et Spec. perf. ed. Sab. cap. 42.

Ad Pag. 40.

(*a*) O, Is et Pis *ut non calumnientur aliquem neque litigent,* alia desunt.

Ad Pag. 41.

(*a*) O *confidant.*

(*b*) Clar. et Spec. addunt *aut per viam vadat solus aut ad mensam in una paropside comedat.*

(*c*) O et Pis *ut.*

Ad Pag. 42.

(*a*) Ita Spec.; An *De vitanda fornicatione;* Mon et Wad *De praesumptione fornicationis.* Alii paulo post *habitum, quem ex sua turpi iniquitate amisit, ex toto deponat.*

Ad Pag. 44.

(*a*) O, Is et Pis om. *spiritualiter.*

Ad Pag. 46.

(*a*) Ita Clar. et An; O, Is et edd. om. *fratrum.* Is om. dein *praedicationis.*

Ad Pag. 47.

(*a*) Ita O et Pis; An *in interiori;* edd. omittunt.

(*b*) Clar. et An *et simplicem.*

Ad Pag. 48.

(*a*) Clar. et An *homines dicere vel facere vel blasphemare.*

Ad Pag. 49.

(*a*) O *ad nostram religionem non deveniat.*

Ad Pag. 50.

(*a*) An *portaverint humiliter et fideliter observaverint.*

(*b*) O *adhuc.*

(*c*) Ita An et Spec.; alii om. *vel.*

Ad Pag. 52.

(*a*) O *diabolus vult.*

Ad Pag. 54.

(*a*) O *ad Dominum.*

Ad Pag. 55.

(*a*) Ita edd.; O, Is et Pis om. *in nobis;* An *ibi.*

Ad Pag. 57.

(*a*) O *mortifica;* An *mirifica.*

(*b*) O *confirmati.*

Ad Pag. 58.

(*a*) O, Is et Spec. *unigenitum.* Spec. orationem contraxit.

Ad Pag. 59.

(*a*) Ita O, Is et Spec.; An et alii *omnes sequentes.*

(*b*) Ita O, Is et edd.; An loco *universas religiosas* habet *omnes conversas.* O et Is paulo post addunt *et parvulas.*

Ad Pag. 60.

(*a*) An et edd. *salvavit.*

AD PAG. 61.

(*a*) Spec. et Wad *interpellet.* O et Is loco *ubique* habet *quin* et Wad *utique.*

(*b*) O *tota die.*

(*c*) O *admirabilis.*

AD PAG. 62.

(*a*) O et Is *vos.. ut diligatis, custodiatis et reponatis haec;* An loco *haec* habet *istam;* edd. om. utrumque.

AD PAG. 69.

(*a*) Bulla orig. *infirmitate.*

AD PAG. 73.

(*a*) Bulla orig. *nec.*

V. Ad regulam sororum S. Clarae.

1. « Cum Clara et quaedam aliae devotae in Domino mulieres elegissent eidem sub religionis observantia famulari, ipsis beatus Franciscus — inquit Gregorius IX. (1) — *formulam vitae* tradidit »; quod idem S. Clara in cap. VI. suae regulae refert dicens (2): « Postquam altissimus

---

1) Cfr. bullam *Angelis gaudium* de 11. maii 1238. (Bullarium Franciscanum, t. I. pag. 242.).

2) Cfr. *Seraphicae legislationis textus originales* (ad Claras Aquas 1897), pag. 62.

Pater caelestis per gratiam suam cor meum dignatus est illustrare, ut exemplo et doctrina beatissimi patris nostri sancti Francisci poenitentiam facerem, paulo post conversionem ipsius una cum sororibus meis obedientiam voluntarie sibi promisi. Attendens autem beatus pater, quod nullam paupertatem, laborem, tribulationem, vilitatem et contemptum saeculi timeremus, immo pro magnis deliciis haberemus, pietate motus scripsit nobis formam vivendi in hunc modum: ,Quia divina' » etc., cfr. supra pag. 75.

2. Paucis post annis cardinalis Hugolinus sororibus dedit regulam a S. Francisco « acceptatam necnon per Honorium papam confirmatam », quam « Clara et sorores solemniter sunt professae » et per multos annos « laudabiliter observarunt (1) ». Quae verba Gregorii IX. die 13. novembris 1243. ab Innocentio IV. repetuntur, qui ad B. Agnetem Boemiae de hac regula cardinalis Hugolini scribit: « Sorores monasterii sancti Damiani ac omnes aliae tui ordinis illam a professionis suae tem-

1) Cfr. Bullarium, l. c. pag. 242. Regula habetur in bulla Gregorii IX. *Cum omnis vera* de 24. maii 1239. et in bulla Innocentii IV. *Solet annuere* de 13. nov. 1245. (Cfr. Bullarium, l. c. pag. 263. et 394.).

pore *usque nunc* laudabiliter observaverunt (1) ». Ex quibus verbis clare perspicimus errare scriptores, qui cum Waddingo aliisque dicunt, S. Claram anno 1224. regulam dictam deseruisse ac aliam a S. Francisco scriptam esse professam. Novam regulam sancta virgo nonnisi circa finem vitae suae habuit, quando Innocentius IV. ipsi die 9. augusti 1253. regulam confirmavit, quam ipsa ex regulis fratrum minorum et cardinalis Hugolini composuisse videtur (2).

3. In cap. VI. huius regulae S. Clara nobis aliud tradidit scriptum, quod S. Franciscus ipsi transmisit; refert de sancto: « Ut nusquam declinaremus a sanctissima paupertate, quam cepimus, nec etiam quae post nos venturae essent, paulo ante obitum suum iterum scripsit nobis ultimam voluntatem suam dicens: ‚Ego frater Franciscus' » etc., cfr. supra pag. 74 (3).

4. Duo scripta edidimus ex bulla originali.

1) Cfr. Bullarium, l. c. pag. 315.

2) Regula habetur in Seraphicae legislationis textus originales, pag. 49. seqq. — De initiis et regulis sororum S. Clarae fuse agit *Lemmens,* Die Anfänge des Clarissenordens, in Römische Quartalschrift, t. XVI. pag. 93. seqq.

3) In testamento suo S. Clara de S. Francisco dicit: « *Plura scripta* nobis tradidit » (Seraphicae legislationis textus originales, pag. 276.), quae iam desiderantur.

VI. De regula tertiariorum.

Qua occasione pauca dicenda videntur de regula tertii ordinis S. Francisci. Constat inter auctores, quod illa forma regulae, quae habetur in bulla Nicolai IV. *Supra montem catholicae fidei,* ab ipso sancto haud oritur.

Duobus abhinc annis Sabatier ex codice Capistranensi XX. evulgavit *Antiquam regulam ordinis poenitentium* (1), quae proculdubio formam regulae magis antiquam exhibet; attamen cl. P. *Mandonnet* assensum praestare haud possumus, secundum quem 12 prima illius capita sunt « regula data anno 1221. in statu suo primitivo » (« la règle donnée en 1221... dans son état primitif ») (2); in cap. VI. enim allegatur bulla *Detestanda* die 30. martii 1228. data (3). Qua-

1) Opuscules de critique historique, t. I. pag. 1 seqq.

2) Les règles et le gouvernement de l'ordo de poenitentia au XIII. siècle, in Opuscules de critique historique, t. I. pag. 175.

3) Regula dicit: « Omnes a iuramentis solemnibus abstineant nisi necessitate cogente in casibus a summo pontifice exceptis in sua *indulgentia,* videlicet pro *pace, fide, calumnia* et *testimonio* »; in bulla vero citata papa dicit: « Humili-

propter ab hac regula inserenda abstinendum esse censuimus.

VII. Ad Testamentum S. P. Francisci.

1. « Circa ultimum vitae suae (1) » S. Franciscus composuit opusculum, quod ipse suum « testamentum » vocavit. De quo testimonium nobis dederunt fr. Thomas Celanensis, papa Gregorius IX., S. Bonaventura aliique (2); accedit, quod ubique aliis sancti Francisci scriptis congruit, ita ut de eius authentia prudenter dubitare nemo possit (3).

Secundum Sabatier S. Franciscus plura scripsit testamenta, « à la fin de chacune de ces

---

ter supplicastis, ut vobis indulgere dignaremur, ne aliquod iuramentum, nisi forsan *pacis* et *fidei, calumniae* vel *testimonii,* facere teneamini. Nos igitur super praedictis *indulgemus » ;* cfr. Opuscules, l. c. pag. 23. not. 2.

1) Cfr. bullam Gregorii IX. *Quo elongati* de 28. sept. 1230. (Bullarium Franciscanum, t. I. pag. 68.).

2) Cfr. I. Cel. n. 17; II. Cel. 3, 99; Bonav., Legenda S. Franc. cap. 3. n. 2., et eius *Epistola de tribus quaestionibus,* in qua dicit: « In morte mandavit fratribus, quod doctores S. Scripturae in summa veneratione haberent » (Opera omnia, t. VIII. pag. 335.).

3) Cfr. Goetz, l. c. t. XXII. pag. 372. seqq.

crises, il faisait de nouveau son testament (1) »; allegat cap. 87. Speculi sui, in quo legimus, sanctum Franciscum in quadam infirmitate per fr. Benedictum de Prato scribi fecisse benedictionem et quaedam monita « in signum memoriae et benedictionis et testamenti ». At vix credimus, ex hac relatione illam *generalem* propositionem de pluribus testamentis deduci posse. Legendae nihil de ipsis produnt, et omnia dicta, quae varii auctores « ex testamento » deprompserunt, in nostro inveniuntur, si omittimus duos locos, quos in Speculo a Sabatier edito habemus. At facile hisce duobus locis Speculum istud errare videmus. Cap. 9. ipsum male repetit ea, quae fr. *Leo* in opusculo *S. Francisci Intentio regulae* n. 14. et 15. refert (2), et cap. 55. compilator Speculi sui magis adhuc erravit, quod collatio cum cap. 27. Speculi alterius bene evincit. Utrumque Speculum verbis fere iisdem amorem S. Francisci erga ecclesiam de Portiuncula referunt; Speculum — Sabatier pergit dicens: « In morte sua fecit scribi in testamento, ut omnes fratres facerent similiter », pro quo alia

1) Speculum, pag. XXXIII. not. 2.
2) Cfr. Documenta Antiqua Franciscana, p. I. pag. 97.

redactio habet: « Circa mortem suam hanc ecclesiam fratribus in testamentum reliquit (1) ».

2. Exstat testamentum in codicibus pag. 152. sub 1, 2, 4, 5, 8, 9, 13, 15, 17, 18, 21, 22 enumeratis et *Hagae Comitum*, biblioth. civitatis, cod. K. 54. saec. XV., fol. 3 v. Ad hanc editionem parandam adhibuimus codices As, An et O, necnon editiones, quas Monumenta (fol. 274 v.) et Firmamenta (fol. 16 v.) habent (2).

Ad Pag. 77.

(*a*) As et An *faciendi.* O paulo post *qui cum essem... sed ipse Dominus;* Mon et Wad *sed ipse.*

(*b*) As talem.

Ad Pag. 78.

(*a*) Ita An, Firm et Wad; As et O om. *hic* (cfr. I. Cel. 45.); Mon om. *et hic* (cfr. Bonav., Legenda cap. 4. n. 3.).

(*b*) As om. *in.*

(*c*) As addit denuo cum Mon *sanctissimum.* Paulo post cum Firm *ministrant.*

(*d*) An, O, Mon et Wad *honorare.* Post O *collocare.*

Ad Pag. 79.

(*a*) As om. *istam.*

(*b*) As om. *qui volebant.* O paulo ante *et eramus contenti.* Paulo post Firm et Wad *manebamus in ecclesiis pauperculis et derelictis.*

---

1) Cfr. Documenta Ant. Franc., p. II. pag. 60.

2) Ex cod. Assisiensi Sabatier edidit testamentum in sua editione Speculi pag. 309.

Ad Pag. 80.

(*a*) An et O *constituuntur*. O om. *et omnia alia;* As om. *alia*.

(*b*) O om. *per obedientiam*. Paulo post O *non vadant petere*.

(*c*) An om. *per se neque per interpositam personam;* O om. *neque pro ecclesia*. O paulo post *pro specie*.

Ad Pag. 81.

(*a*) As *mittendi*.

(*b*) An *correptor istius*.

Ad Pag. 82.

(*a*) An om. *neque in istis verbis*. O *in regulam... ista verba*.

(*b*) As et Mon *simpliciter et sine glossa;* Firm et Wad *simpliciter et pure sine glossa*.

(*c*) An et O *hoc*.

(*d*) As *parvulus vester servus*. As et edd. *intus et foris*. O addit *qui fecit fieri haec verba, cui sit omnis honor, omnis laus et gloria in saecula saeculorum. Amen*.

VIII. Ad opusculum de religiosa habitatione in eremo.

Opusculum hoc in antiqua collectione operum S. Francisci, quam praebent codices 4, 6, 19, 22, et in exemplaribus compilationis, cuius initium *Fac secundum exemplar* (codd. 9, 21), habetur in fine admonitionum. In maiore tamen numero

codicum admonitiones desinunt sicut in nostra editione; et opusculum de vita in eremitoriis melius separatur (uti in codicibus 1, 20).

Stilus et materia ipsius S. Francisco congruunt, nec codices alium auctorem nominant.

Adhibuimus codices As, O et duos nominatos collegii S. Isidori, necnon Pisanum, qui opusculum exhibet l. c. fructu XII. p. II. cap. 30. (1).

Ad Pag. 83.

(*a*) As *in eremis; vel quatuor.*

(*b*) As *Isti duo, qui sunt matres teneant vitam Marthae, et duo filii teneant vitam Mariae et habeant unum claustrum, in quo unusquisque habeat cellulam suam.* As paulo post *de die statim post occasum solis.*

Ad Pag. 84.

(*a*) Ita As et Is; alii *pauperes pauperculi.*

(*b*) O addit *mulierem sive quamcumque.*

(*c*) As *sui ministri.*

(*d*) As *cum ministro et custode suo.*

(*e*) As desinit a *benedictione Dei.*

---

1) Sub titulo « *Franciscus in admonitionibus suis* ».



Ad partem secundam.

---

1. S. Franciscum plures scripsisse epistolas antiqui tradiderunt. Teste fr. *Thoma Celanensi* scripsit S. Antonio Patavino et saepius cardinali Hugolino (1). *S. Clara* in suo testamento refert: « Plura scripta tradidit nobis, ne post mortem suam declinaremus a paupertate (2) ». Secundum *Eccleston* « scripsit sanctus Franciscus propria manu litteram sub divo in pluvia non madefactus ministro et fratribus Franciae, ut visis litteris, iubilarent laudes divinae Trinitati dicentes:

---

1) Cfr. II. Cel. 3, 99. et I. Cel. num. 82.

2) Acta Sanctorum, aug. t. II. pag. 767; cfr. Speculum — Lemmens cap. 18. (Documenta Ant. Franc., p. II. pag. 47.) et Speculum — Sabatier cap. 108.

‚Benedicamus Patrem et Filium cum Spiritu sancto‘ (1) ». Idem Eccleston mentionem facit epistolae, quam scripsit Bononiam, « in qua fuit falsum latinum (2) ».

2. Waddingus in sua editione 17 epistolas S. Francisci exhibet, quarum pars maior admitti nequit.

Epistola I. est pars suae epistolae II. (ad omnes fideles).

Epistola III. (ad S. Antonium) ipso teste Waddingo a diversis diversimode exhibetur, unde *forma* dubia est.

Epistola IV. et V. (ad S. Claram) non sub forma epistolae in codicibus habentur; cfr. supra pag. 75. et 76.

Epistola VI. et VIII. sunt summaria epistolae ad ministrum generalem.

Epistola VII., IX. ac XIV. a Waddingo ex idiomate hispanico sunt translatae, earumque forma primigenia deest.

Epistola X. est pars epistolae ad capitulum generale.

---

1) Analecta Franciscana, t. I. pag. 232.

2) Ita legunt Monumenta Germaniae historica, Scriptores, t. XXVIII. pag. 563; cfr. Anal. Franc., l. c. pag. 232. not. 4.

Epistola XI. et XII. in codicibus unam efformant epistolam.

Epistola XIII. in codicibus formam epistolae non habet (est opusculum de reverentia sanctissimi sacramenti).

Epistola XVII. (ad Iacobam de Septemsoliis) est desumpta ex Actibus B. Francisci et sociorum, unde *forma* ipsius iure suspecta habetur.

Quare ex epistolis 17 a Waddingo editis hic solum remanent *quinque:* 1. epistola *ad omnes fideles* (ep. I. et II.), 2. epistola *ad capitulum generale* (ep. X., XI. et XII.), 3. epistola *ad ministrum generalem* (ep. VI. et VIII.), 4. epistola *ad rectores* (ep. XV.) 5. epistola *ad fr. Leonem* (ep. XVI.). — Epistola vero *ad custodes* (ep. XIV.) a nobis in alia forma exhibetur.

Ad Epistolam I.

1. Epistolae ad omnes fideles (s. christianos) authentia a nemine in dubium vocatur; textus ipse et consensus codicum pro ipsa disertum testimonium reddunt. Ideae ipsius S. Francisco familiares sunt et iisdem verbis ab eo in aliis scriptis repetuntur; multa loca S. Scripturae, quae in

hanc epistolam inserta sunt, etiam in reliquis opusculis allegantur (1).

2. Codices, in quibus hanc epistolam invenimus, sunt:

1. *Assisii,* biblioth. civitatis, cod. 338. saec. XIV., fol. 23.

2. *Berolini,* biblioth. regia, cod. lat. 196. saec. XIV., fol. 105.

3. *Dusseldorpii,* archivo regio, cod. B. 132. saec. XV., fol. non num.

4. *Florentiae,* biblioth. conv. Ognissanti, cod. saec. XIV., fol. 7.

5. *S. Floriani,* biblioth. monast., cod. XI. 148. saec. XIV., fol. 36.

6. *Fulginei,* biblioth. conv. Capucin., cod. saec. XV., fol. 25.

7. *Leopoli,* biblioth. univers., cod. 131. saec. XV., fol. 341.

8. *Lignitii,* biblioth. eccl. SS. Petri et Pauli, cod. 12. saec. XV., fol. 136.

9. *Monachii,* biblioth. regia, cod. lat. 11354. saec. XV., fol. 31.

1) Cfr. ex. gr. verba « Diligamus igitur Dominum Deum » et seqq. in pag. 89. (in fine) cum cap. XXII. regulae I. (pag. 55.) et orationem Christi, quae habetur pag. 94., cum fine eiusdem cap. XXII. (pag. 56.).

10. *Oxonii,* biblioth. Bodlei., cod. Canon. miscell. 525. saec. XIV., fol. 98.

11. *Parisiis,* biblioth. Mazarin., cod. 989. saec. XV., fol. 193. — 12. *Ibid.,* biblioth. Mazarin., cod. 1743. saec. XV., fol. 137. — 13. *Ibid.,* biblioth. facult. theol. protestant., cod. saec. XV., fol. 88.

14. *Romae,* archiv. coll. S. Isidori, cod. 1/25. saec. XIV., fol. 18. — 15. *Ibid.,* archiv. coll. S. Isidori, cod. 1/73. saec. XIV., fol. 15. — 16. *Ibid.,* biblioth. Vaticana, cod. lat. 4354. saec. XIV., fol. 43. — 17. *Ibid.,* biblioth. Vaticana, cod. lat. 7650. saec. XV., fol. 16.

Partes epistolae sunt:

1. *Leodii,* biblioth. civitatis, cod. 343. saec. XV., fol. 158 (finis).

2. *Neapoli,* biblioth. nation., cod. XII. F. 24. saec. XV., fol. 107. (*Qui nolunt gustare* — cfr. supra pag. 89. — usque ad finem).

3. *Volaterrae,* biblioth. Guarnacci, cod. 225. saec. XIV., fol. 148. (1).

---

1) Cfr. Sabatier, Bartholi Tractatus etc., ubi in appendice pag. 132. seqq. evulgavit fragmentum Volaterranum uti « *nouveau opuscule* », illudque *completum* scriptum esse putat. At iam verba *Infirmatur corpus, mors appropinquat, et sic moritur amara morte* diserte dicunt hic solum haberi excerptum; quod, paucis verbis initii exceptis, ex epistola nostra depromptum est. — Signatur hic Volt.

3. Ad rationem huius editionis dicimus, quod adhibuimus praecipue codicem 338. bibliothecae Assisiensis et codicem conventus Ognissanti. Contulimus praeterea codices 1/25. et 1/73. collegii S. Isidori, necnon editionem epistolae in Monumenta, tract. II. fol. 278 r., et apud Pisanum, qui l. c. fructu XII. p. II. magnam epistolae partem passim inseruit (1). — Plures codices et editio Waddingi epistolam in capita dividunt ipsisque titulos imposuerunt, quam divisionem cum aliis codicibus negligendam esse duximus.

AD PAG. 87.

(*a*) O *omnia verba Domini.*

(*b*) As et edd. *quod cum.*

(*c*) O *nunc.*

AD PAG. 88.

(*a*) As et edd. om. *venturum* post *de caelo;* deinde legunt *in uterum sanctae.* O paulo post *utero vero.*

AD PAG. 89.

(*a*) O om. *et natus fuit pro nobis.*

(*b*) O om. *Et vult, ut omnes salvemur per ipsum.*

AD PAG. 90.

(*a*) O pergit: *Quia Dominus dicit: Qui meam carnem.*

(*b*) As et edd. om. *vel non potest.*

(*c*) O *et misericordiam.*

---

1) *Rodulphius Tossinianensis,* Historiarum seraphicae religionis libri tres (Venetiis 1586), fol. 174 r. illam partem edidit, quam Waddingus uti epistolam I. exhibet.

Ad Pag. 91.

(*a*) Edd. aliquantum differunt.

(*b*) As et edd. haec verba transponunt.

Ad Pag. 92.

(*a*) O *Et specialiter.. tenentur et maiora.*

(*b*) O *quod.*

Ad Pag. 93.

(*a*) As et Volt *Spiritu sancto.*

Ad Pag. 94.

(*a*) Ita O et Pis; As, Volt, edd. *sanctum Paracletum pulchrum et amabilem habere sponsum.*

(*b*) Ita O et Pis; As, Volt, Mon *humilem.. dulcem.. amabilem.. desiderabilem.*

(*c*) O et Pis *sunt.* — Ad lin. 22: As et edd. *Ei autem qui.*

Ad Pag. 95.

(*a*) Ita O et Pis; As, Volt et edd. pro *mente autem serviunt* habent *decepti a* (Volt *detenti*).

Ad Pag. 96.

(*a*) O et Pis *se flere.*

(*b*) O *spem suam ponit.*

(*c*) O et Pis *Vis satisfacere de male ablatis, id est de his, in quibus fraudasti proximum.*

Ad Pag. 97.

(*a*) Ita O; Pis et Volt om. *miser;* As et edd. om. *amara morte.*

(*b*) Pis om. *et non satisfacit* (O addit in margine); edd. *et non fecit.* Paulo post O et Pis *diabolus accipit;* edd.

daemon recipit et rapit. Edd. in fine *nisi qui patitur illam tribulationem.*

(*c*) As et edd. om. *et sapientia.*

(*d*) Ita O (ubi *perdidit*) et Pis; As *Et amicis et propinquis relinquit, et ipsi tollent et divident substantiam eius et dicent postea* etc. *Corpus comedunt vermes. Et ita* etc.; Volt et edd. fere idem.

(*e*) *In nomine — Amen* habetur in solo As, qui om. *Omnes — pervenerint.* Edd. om. utrumque.

(*f*) As et edd. *haec verba et alia.*

Ad Pag. 98.

(*a*) As et edd. om. *perfecte* et omnia usque *Et omnes.*

(*b*) As et Mon *ea perseveraverint;* O *perseverabunt.*

Ad Epistolam II.

1. « In fine dierum suorum (1) », « quando erat infirmus (2) », scripsit S. Franciscus epistolam ministro generali et universis fratribus. Confitetur Deo et sanctis et fratribus « omnia peccata » et verbis gravibus ea urget, quae ipsi praeprimis cordi erant: reverentiam erga sanctissimum sacramentum, observantiam regulae ac divinum officium; sunt eadem desideria et consilia, quae

---

1) *Ubertinus Casalensis,* Arbor vitae crucifixae Iesu, l. V. cap. VII.

2) Ita codex Assisiensis ad initium epistolae.

testamentum commendat, et utrumque opusculum eodem tempore ortum esse putamus.

2. Waddingus epistolam in duas partes divisit et partem I. uti epistolam XII. et partem II. uti epistolam XI. ponit; Monumenta (fol. 281 v.), Firmamentum (fol. 21 r.) ac Rodulphius (fol. 173 v.) solam I. partem exhibent. At Ubertinus l. c. et Pisanus l. c. fr. XII. p. II. num. 47., necnon omnes, quos consuluimus, codices epistolam uti unam praebent, quod omnino nexus epistolae expostulat. Codices tantum in eo differunt, quod aliqui non addunt ad epistolam orationem *Omnipotens, aeterne* etc., quam in editione nostra cum codicibus pluribus ad finem epistolae posuimus (1).

3. Invenimus epistolam hanc in codicibus, quos pag. 181. sub 1, 3, 4, 5, 6, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16 enumeravimus; praeterea:

1. *Capistrani,* biblioth. municip., cod. XXII. saec. XV., fol. 85 r.

2. *Friburgi* (Helvetiae), biblioth. conv. Conventualium, cod. 23. I. 60. saec. XV.

---

1) Additur ex. gr. in codicibus As, An, Lignitiensi ac 989. et 1743. bibliothecae Mazarin.; in aliis vero habetur immediate ante epistolam nostram, ex. gr. in codicibus *secundae* collectionis (cfr. introd.).

3. *Parisiis,* biblioth. nation., cod. 18327. saec. XV., fol. 159 v.

4. *Romae,* biblioth. coll. S. Antonii, cod. saec. XIV., fol. 61 r. et 80 r. (1). — 5. *Ibid.,* biblioth. Vallicell., cod. B. 82. saec. XIV., fol. 147 v.

6. *Sublaci,* biblioth. mon., cod. 120. saec. XV., fol. 325. — 7. *Ibid.,* biblioth. mon., cod. 212. saec. XV., fol. 184.

8. *Volaterrae,* biblioth. Guarnacci, cod. 225. saec. XIV., fol. 151 r.

4. Pro nostra editione adhibuimus codices As (2), An, O, Is 1/25., necnon editiones, quas habemus apud Ubertinum, Monumenta et Firmamenta.

Ad Pag. 99.

(*a*) As om. *In nomine* etc.

(*b*) As addit *fratri A* et alia occasione (pag. 105.) *fratrem H;* An addit *fratri T;* O hoc loco nihil addit, similiter editiones.

Ad Pag. 100.

(*a*) An *et faciatis stare omnes mutos, qui dicunt contra eum verbo et opere.*

---

1) Est idem, quem nominavimus pag. 152. not. 1.

2) Ex codice Assisiensi primam partem (usque *in saecula saeculorum. Amen;* cfr. supra pag. 104.) edidit Faloci in Miscellanea Francescana, t. VI. pag. 94.

Ad Pag. 101.

(*a*) As et Ub addunt *sacerdotes*. Paulo post Ub, O, Mon, et Firm *quod quandocumque*.

(*b*) As *Dominum*.

(c) Ub, O, Mon et Firm om. *et reus — Domini*.

(*d*) Ub, O, Mon et Firm om. *etiam*.

Ad Pag. 103.

(*a*) As et O *in quo*. O *insatiabiliter conspicere*.

(*b*) Ub *ipse filius*.

Ad Pag. 104.

(*a*) Ita As et An; alii *praeterea*.

Ad Pag. 105.

(*a*) An *propterea*.

Ad Pag. 106.

(*a*) Ub *per veritatem mentis placere Deo;* As et An *placare Deum*.

(*b*) Ub et Wad haec verba transponunt.

(*c*) Ub loco *regularibus* habet *aliis;* O habet utrumque.

(*d*) O *nec volo eos*.

(*e*) O *ordinis*.

(*f*) Ita As, O et Fulg.; O addit *generali*.

(*g*) O addit *custodiant*. O paulo post *Et exhortor*.

Ad Pag. 107.

(*a*) Ub et O *ut faciant;* Ub *custodiri;* O *custodire*.

(*b*) O et Fulg. *finiatur*.

Ad Epistolam III.

1. Epistolam esse scriptam ante confirmationem regulae per papam Honorium, tenor ipse prodit (1). Secundum numerum maiorem codicum et Pisanum incipit « Fratri N. ministro (2) »; duo codices verbum addunt « generali (3) »; quod minus probabile putamus; verba enim: « Ibi [ad capitulum] eris cum fratribus tuis » magis ministrum *provinciae* denotare videntur.

Bene assensum praestamus Götz (4), secundum quem initium epistolae indicat, ministrum suas

---

1) Mentionem facit capitulorum regulae, « *quae loquuntur de mortalibus peccatis* »; at in sola regula prima *plura* capitula huius generis habentur: cap. V., XIII., XX. (et XIX.). Agit deinde de mutationibus regulae proponendis, quae post confirmationem per papam locum non amplius habere poterant.

2) *Rubrica* codicum familiae *secundae* dicit: « Littera, quam misit beatus Franciscus generali ministro de modo servando circa fratres subditos peccantes mortaliter vel venialiter » (O om. *vel venialiter*); codex Neapolitanus dicit: « Epistola ad quendam ministrum ».

3) Versiones aliquae italicae (cfr. Sabatier, Bartholi pag. 121. not. 1.) addunt nomen fratris *Eliae;* cfr. etiam Rodulphius, l. c. fol. 177 v.

4) L. c. t. XXII, pag. 547.

difficultates de modo circa fratres peccantes servando proposuisse; verba ex abrupto posita « Dico tibi de facto animae tuae » reiiciunt ad factum sive dubium quoddam, cui epistola respondet; et ex eo, quod patientia « plus quam eremitorium » commendatur, deducere forte licet, ministrum sibi vitam solitariam exoptasse. Non tamen cum Sabatier in epistola « plus des objurgations et des reproches que des conseils » invenire valemus (1).

2. Epistolam omnes codices sancto Francisco attribuunt, quem ideae et verba etiam alibi a sancto adhibita omnino sapiunt.

Habetur in codicibus, quos pag. 181. sub 4, 6, 14, 17 nominavimus; pars prior praeterea exstat *Neapoli* in fine codicis XII. F. 32. bibliothecae nationalis.

Summarium epistolae habetur apud Rodulphium (2), aliud apud Pisanum (3), tertium magis completum apud Waddingum (ep. VIII.) (4).

---

1) Sabatier, Bartholi pag. 120.

2) L. c. fol. 177 v; est apud Waddingum ep. VI.

3) L. c. fr. XII. p. II. num. 46.

4) Non est idem, quod habet Pisanus, quia plura addit; ex. gr. « Et istud denunties guardianis; quando poteris, quod per te sic firmus es facere » et alia. — Aliud

Totam epistolam edidit primum paucis abhinc annis P. Eduardus Alinconiensis ex codice Vaticano 7650. et codice Fulginatensi (1), deinde Sabatier ex codice conventus Ognissanti (2). Pro nostra editione praeter hunc ultimum adhibuimus codicem 1/25. collegii S. Isidori, necnon codicem Neapolitanum XII. F. 32. cum editionibus praecedentibus (signantur Al et Sab).

Ad Pag. 108.

(*a*) Is et Fulg. addunt *generali.*

(*b*) O *Domini mei* (Sab omittit *mei.* Paulo ante Sab *verberaverint;* O *verberarent.*). Paulo post O et N *ista est.*

(*c*) Ita Is, Pis et Wad; O, Al et Sab *et non velis;* N *non velis, quod pro te.*

(*d*) O *quam meritorium.*

---

summarium praebet epistola VII. Waddingi, quam ipse ex hispanico idiomate vertit; ipse Waddingus fatetur, « loquendi vel scribendi modum » non esse S. Francisci.

1) Sub titulo: Epistolam S. Francisci ad ministrum generalem in sua forma authentica nunc primum edidit cum appendice de fr. Petro Catanii *P. Eduardus Alinconiensis* (Romae 1899).

2) Bartholi pag. 113. Sabatier absque fundamento summaria illa esse epistolas completas putat et dicit: « Frère Elie ne se corrigeant pas, le saint ne cessa pas de lui faire des recommandations identiques », l. c. pag. 119.

AD PAG. 109.

(*a*) O et N om. *scilicet.*
(*b*) Al et N *nunquam.*
(*c*) O om. *et si non — vult misericordiam.*
(*d*) N *peccaret.* O post *oculis* om. *tuis.*
(*e*) O *guardiano.. firment se facere.*

AD PAG. 110.

(*a*) O *alio.*
(*b*) Is et Fulg. *procurabitis.* Is et Al addunt *Amen.*

Ad Epistolam IV.

Epistolam hanc Waddingus ex *Gonzaga* edidit, qui de provincia Aragoniae agens refert, B. Ioannem Parentem transumptum epistolae in Hispaniam transtulisse (1); alia eiusdem exemplaria nondum sunt inventa. Cum ideae et epistolae stilus omnino S. Francisco congruant, ipsam in editionem nostram inserendam censuimus (2).

Ad Epistolam V.

Epistolam *ad custodes* paucis abhinc annis Sabatier primum edidit ex codice 225. bibliothe-

1) De Origine seraphicae religionis franciscanae (Venetiis 1603) pag. 806. — Est epistola XV. apud Waddingum.
2) Item de epistola iudicat Goetz l. c. pag. 535.

cae Guarnacci Volaterranae (1), ex quo et hic eam dedimus, cum in aliis nondum reperta sit. Argumenta interna epistolae authentiam commendant, quare codicis nostri testimonio (saec. XIV.) fidem praestandam censuimus.

Waddingus inter epistolas (ep. XIV.) epistolam breviorem ad custodes scriptam edidit. Initium ipsius est nostrae simillimum, nobisque haec epistola nonnisi summarium longioris esse videtur; at difficulter de hoc iudicatur, cum epistolae a Waddingo ex idiomate hispanico versae forma primigenia desit.

Ad Epistolam VI.

Epistolae huius, quam S. Franciscus fratri Leoni timoribus et dubiis turbato scripsit, autographum in civitate Spoletana exstat ibique cum debito honore servatur (2). Forma epistolae suas habet difficultates et in mentem revocat ea quae

---

1) Cfr. Sabatier, Bartholi pag. 135.

2) Cfr. Faloci, *Gli Autografi di S. Francesco* in Miscellanea Francescana, t. VI. pag. 33. seqq. et *La Calligrafia di S. Francesco*. l. c. t. VII. pag. 67. — Paucis abhinc mensibus Leo XIII. f. r. epistolam ex aedibus Vaticanis Spoletum remittendam curavit.

Celanensis de S. Francisco refert dicens: « Cum litteras aliquas salutationis vel admonitionis gratia faceret scribi, non patiebatur ex his deleri litteram aliquam aut syllabam, licet superflua saepe aut incompetens poneretur (1) ».

In initio ex. gr. S. Franciscus adhibet verba: *F. Leo F. Francisco tuo.* Ex tota epistola elucet, quod haec verba explicari nequeunt: *Fr. Leo fratri Francisco tuo,* ac si fr. Leo epistolae auctor esset, quo casu iam dixisset: *Francisco suo.* Verba potius cum aliis explicantur eo, quod sanctus Franciscus familiari modo utens adhibuit formam italicam; quo modo et explicare possumus numerum pluralem *(faciatis)*, quo S. Franciscus semel utitur (2).

Aliqua autographi verba non bene leguntur, unde habentur differentiae inter editiones (3).

AD PAG. 115.

(*a*) Wadd. *fili mi sicut;* Faloci *fili mei sicut.*

(*b*) Wadd. *si postea;* Faloci *si dopo* (?).

1) I. Cel. n. 82.

2) Sabatier, Vie de S. François pag. 301. not. 1. aliter explicat dicens: « Ce pluriel montre bien que frère Léon avait parlé au nom d'un groupe ».

3) Waddingus (ep. XVI.) et Faloci, l. c. t. VI. pag. 39. epistolam ex autographo ediderunt.



Ad partem tertiam.

In fine tomi I. suae editionis Waddingus plures collegit orationes sancti Francisci, ex quibus aliquas in hanc editionem haud admisimus.

Nonnullae enim in codicibus desiderantur, neque alicubi testimonium et vestigium illarum invenire potuimus. *Oratio* ex. gr. *in suae conversionis initio, oratio, quam dicere solebat, quando sanctissimum Christi corpus elevabat sacerdos, oratio in infirmitate* in antiquis collectionibus opusculorum sancti Francisci desunt.

Orationem *pro obtinenda paupertate* Waddingus « apud solum *Ubertinum* » in cap. III. l. V. operis *Arbor vitae crucifixae Iesu* invenit, quo loco auctor celebrem allegoriam *Sacrum commercium beati Francisci cum domina paupertate*

breviter excerpsit (1). Allegoria haec « quibusdam devotis parabolis et aenigmatibus declaravit, qualiter beatus Franciscus paupertatem diligenter quaesivit et reperit et eam invitavit et desponsavit (2) »; est poema, non liber historicus, unde et excerptum Ubertini nec facta historica referre potest, nec orationem a S. Francisco reapse compositam exhibere vult. Quibus praemissis, pauca de orationibus dicemus, quas in nostra editione posuimus.

I. Ad Laudes.

Argumenta interna et consensus codicum authentiam laudum extra dubium ponunt. Inveniuntur in omnibus antiquis collectionibus opusculorum S. Francisci (3), et quidem vel complete,

---

1) Edidit P. Eduardus Alinconiensis O. Cap. Romae 1900; cf. ibidem, pag. 41. — 44.

2) Ita Chronica XXIV generalium; cfr. Analecta Franciscana, t. III. pag. 283.

3) Habetur in codice 338. bibl. Assisiensis et in compilatione, cuius initium *Fac secundum exemplar* (cod. Berol. 196., Leopol. 131., Lign. 12., Vatic. 4354.), necnon in collectione, quam praebent codices O, Vatic. 7650., S. Isid. 1/25. et Fulgin. In cod. 1/73. archivi S. Isidori (fol. 10 v.) habetur expositio sub nomine *fratris Aegidii.* —

uti sunt in hac editione, vel laudes absque expositione super *Pater noster*, vel sola haec habetur expositio.

Edidimus hic laudes secundum As, An et Is 1/25.; adhibuimus praeterea editiones, quas Monumenta fol. 275 v., Firmamenta fol. 18 v. et Pisanus l. c. fr. XII. p. II. c. VI. dederunt.

Ad Pag. 119.

(*a*) As hic et aliis locis *incipiuntur*.

(*b*) Ita An, Mon et Firm; Is incipit *Pater noster;* Pis inc. *Beatissime Pater noster*.

(*c*) Ita Is, Mon et Firm; An et Pis om. *bonum*.

Ad Pag. 120.

(*a*) Pis *aliud*. Mon et Firm *exponendo*.

Ad Pag. 121.

(*a*) Is, Mon et Firm *et ineffabilem passionem*.

(*b*) An et Pis *in omnibus*. Paulo ante *reddentes*.

II. Ad Salutationem B. M. V.

Eodem modo, quo laudes, et haec parva oratio authentica ostenditur. Codex 338. biblio-

---

Sabatier ad hasce laudes applicat capitulum 82. Speculi ab ipso editi, secundum quod fratres ad locum B. M. V. de Portiuncula morantes pro omni verbo otioso debebant dicere « Pater noster cum laudibus Domini ».

thecae Assisiensis illam non continet; alii vero codices, in quibus laudes inveniuntur, etiam hoc opusculum praebent.

Adhibuimus codices O et Is 1/25., necnon editiones, quas habemus apud Pisanum fr. XII. p. II. c. V. et Speculum B. Francisci (ed. 1. et 2.) fol. 127r.

AD PAG. 123.

(*a*) Is om. *Ave tabernaculum — ancilla eius;* Wadd. om. *Ave domus — ancilla eius.*

(*b*) Is et Fulg. *et facitis.* Pis et Wadd. addunt secundam partem antiphonae *Sancta Maria Virgo,* quae exstat in *officio Passionis* (cfr. supra pag. 128.).

III. Ad chartulam, quam dedit fr. Leoni.

Secundum fratrem Thomam de Celano (1) unus de sociis S. Francisci, « dum maneret sanctus in monte Alvernae cella reclusus, magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini memorabile scriptum de manu S. Francisci breviter annotatum... Quadam die vocat eum beatus Franciscus dicens: Porta mihi chartam et atramentum, quoniam verba Dei et laudes eius scribere

1) II. Cel. 2, 18. Cfr. Bonav., Legenda S. Franc. c. 11. n. 9. — Cfr. supra pag. 193. not. 2.

volo, quae meditatus sum in corde meo. Allatis protinus quae petierat, scribit manu propria laudes Dei et verba, quae voluit, et ultimo benedictionem fratris dicens: Accipe tibi chartulam istam et usque ad diem mortis tuae custodias diligenter. Fugatur statim omnis tentatio; servatur littera et in posterum miranda effecit ».

Autographum huius chartulae magna cum reverentia asservatur in ecclesia S. Francisci civitatis Assisiensis. Verba in ipso a fratre Leone addita nobis manifestant tempus, quo factum illud accidit. In margine enim superiori illius lateris, in quo habetur benedictio fratris Leonis, legimus: « Beatus Franciscus duobus annis ante mortem suam fecit quadragesimam in loco montis Alvernae in honorem beatae Virginis Mariae, matris Domini, et beati Michaelis archangeli a festo Assumptionis sanctae Mariae Virginis usque ad festum sancti Michaelis septembris. Et facta est super eum manus Domini; post visionem et allocutionem seraphim et impressionem stigmatum Christi in corpore suo fecit has laudes ex alio latere chartae scriptas et manu sua scripsit gratias agens Domino de beneficio sibi collato ». Paulo infra additum est: « Beatus Franciscus scripsit manu sua istam benedictionem mihi fra-

tri Leoni », et ad calcem: « Simili modo fecit istud signum thau cum capite manu sua (1) ».

Latus illud, in quo habetur benedictio, optime est conservatum; alterum tamen, quod continet laudes, magna ex parte haud amplius legi potest, quare diversae illius opusculi recensiones existunt.

Post diligentem collationem originalis huic prae aliis convenire putamus textum illum, quem codex Assisiensis 344. (saec. XIV.) fol 77 v. praebet, quare hunc praeferendum et edendum esse censuimus; in sacri conventus bibliotheca repositus ex ipso autographo accurate transumptus esse videtur. Duo in notis advertimus.

Ad Pag. 124.

(*a*) As *Tu es amor, caritas;* originale haec verba transponere videtur.

Ad Pag. 125.

(*a*) As *ad sufficientia;* in originali non amplius legitur. Ibidem supra haec verba est aliquid additum, quod forte *nostra* dicit.

IV. Ad orationem Absorbeat.

Ad authentiam huius orationis probandam nihil aliud adducere valemus, quam ea quae iam

---

1) Cfr. Bonav., Legenda S. Franc. c. 4. n. 9.

Waddingus dicit: « Franciscum auctorem huius orationis esse, nobis testatur D. *Bernardinus* t. II. serm. 60. et Ubertinus l. V. *Arbor vitae Christi* c. IV. », quo ultimo loco auctor ait: « Completum est in illo, quod petebat de se ipso » ; deinde habetur oratio nostra, quam ex libro Ubertini hic edidimus.

V. Ad Officium Passionis.

In legenda S. Clarae frater Thomas de Celano refert de ipsa: « Officium crucis, prout crucis amator Franciscus instituerat, didicit et affectu simili frequentavit (1) ». Quae verba Waddingus iure intellexit de officio illo *passionis*, quod plures codices S. Francisco attribuunt, cuiusque compositio omnino sancto congruit (2). Ex verbis S. Scripturae cum simplici et devoto amore compositum pretiosum exhibet documentum et exemplum suae orationis.

Quinque complectitur partes:

1. Pro sacro triduo hebdomadae maioris et feriis per annum;

1) Cfr. Acta sanctorum, aug. t. II. pag. 761.

2) Notamus, etiam D. Bonaventuram composuisse *Officium de passione Domini*; cfr. Opera omnia, t. VIII. pag. 152.

2. Pro tempore paschali;

3. Pro dominicis et festis per annum;

4. Pro Adventu;

5. Pro festo Nativitatis Domini et diebus sequentibus usque ad finem octavae Epiphaniae.

Officium edidimus paucis rubricarum verbis omissis ex codice 338. biblioth. Assisiensis. Idem officium — alio ordine — habetur in codice Canon. misc. 525. biblioth. Bodlei. Oxoniensis (1) et codice 196. biblioth. R. Berolinensis (2); prima pars habetur in codice 12. Lignitiensi (3). Alios codices enumerat Waddingus in sua editione.

AD PAG. 126.

(*a*) Ita Lign.; As *completorio feriae sextae Parasceve.*

AD PAG. 137.

(*a*) Ita Oxon; As *dominicae Resurrectionis.*

---

1) Cfr. Opuscules de critique historique, t. I. pag. 276.

2) Cfr. Sabatier, Speculum perfectionis pag. CXCVI.

3) Cfr. Opuscules l. c. pag. 55.; pars prima desinit a psalmo ad vesperam verbis « Dominus regnavit *a ligno* », quae duo ultima verba desunt in As; cfr. supra pag. 136.

De nonnullis opusculis spuriis.



Nonnulli codices et catalogi S. Francisco quaedam opuscula attribuunt, quae diversae rationes ab eo aliena esse evincunt. De quibus pauca dicemus.

1. In cod. G. 1. 10. 24. (saec. XV.) bibliothecae Bertolianae Vicentinae fol. 89 r. et in cod. Capistranensi XXI. (saec. XV.) fol. 140 r. habetur *Epistola B. Francisci ad fr. Bernardum*; quae epistola nihil aliud est quam epistola *S. Bonaventurae continens XXV memorialia* (1).

2. In cod. B. 82. biblioth. Vallicellianae de Urbe habetur fol. 141 r. *Praedicatio quaedam, quam fecit B. Franciscus fratribus suis circa*

1) Opera omnia, t. VIII. pag. 491.

finem mortis sui corporis. Formam, qua hoc opusculum in dicto codice invenitur, spuriam iam evincunt tot sanctorum patrum (Basilii, Chrysostomi, Augustini, Isidori, Gregorii, Bernardi) textus allati (1).

3. Secundum *Catalogum codicum latinorum bibliothecae regiae Monacensis* (2) in cod. 11354. (saec. XV.) huius bibliothecae habentur *Francisci collationes cum fratribus.* Errat catalogus; sunt *collationes sancti fratris Aegidii.* Incipit prologus: *Quia sermo Domini est vivus;* incipiunt collationes: *De vita activa. Cum nullus sit, qui ad contemplativam vitam ascendere valeat* (3). Prologus ille *Quia sermo Domini* eadem

1) *Sbaralea,* Supplementum ad scriptores ordinis minorum, pag. 244. nominat alium codicem huius bibliothecae (B. 131.), in quo « Dicta S. Francisci cum regula extant », quem codicem non contulimus. — L. c. Sbaralea enumerat *Librum dictorum* B. Francisci, cuius initium *Quid faciet homo in omni tentatione* et finis *Oratio semper est praemittenda propter insidias,* eiusque duo citat exemplaria, quae olim Assisii et Ferrariae exstabant; nihil de ipso aliud invenimus.

2) T. II. p. II. (Monachii 1876) pag. 17. num. 214.

3) Cod. 5998. fol. 189. secundum eundem Catalogum habet *Verba S. Francisci de paupertate;* sunt verba *Haec est illa celsitudo* ex cap. VI. regulae II. fratrum

fere forma in cod. Monacensi 5159. (saec. XIII.) fol. 43. et in cod. 493. bibliothecae civitatis Moguntiae saec. XIV.) fol. 49 r. habetur sub titulo *Prologus super verba beati Francisci;* alii codices illum praemittunt *Dictis B. Aegidii,* de quo in nostra *Dictorum* editione dicemus.

4. In cod. 18327. (saec. XV.) bibliothecae nationalis Parisiensis legimus fol. 158 r.: *Sequuntur perfectiones S. Francisci, quas dedit fratri Iunipero.* Incipiunt: *Prima perfectio erat, quod toto conamine et totis viribus.* Enumerantur « perfectiones S. Francisci (1) ».

---

minorum. — Hasce notitias benevole transmisit *P. Heribertus Holzapfel* O. F. M., lector S. theologiae in conventu nostro Monacensi, cui hic gratias denuo dicimus.

1) Cfr. Monumenta, tr. II. fol. 281 r.



INDEX



Pars I. Admonitiones et Regulae.

Pars II. Epistolae.

Pars III. Orationes.

Apparatus criticus.

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 20. octobris 1903.

† M. NOVELLI, Episcopus Collensis
et Vic. Glis Arch. Florentinae.

Ex parte ordinis nihil obstat,
quominus imprimatur.

Ad Claras Aquas, die 2. octobris 1903.

Fr. DIONYSIUS SCHULER, *Min. Glis.*

t - Opuscula. 17429

Francesco d'Assisi, Saint - Opuscula.